Henricus Beyer

De scaenis comoediae Atticae veteris, quibus, quae ad actionem spectant, narrantur, non aguntur.

De scaenis comoediae Atticae veteris, quibus, quae ad actionem spectant, narrantur, non aguntur.

Dissertatio inauguralis

quam

amplissimi philosophorum ordinis
consensu et auctoritate
in Academia Georgia Augusta
ad
summos in philosophia honores
rite capessendos

scripsit

Heinrich Francis Hermann
Henricus Beyer
Dresdensis.

Gottingae.
MCMXII.

De dissertatione probanda ad ordinem phil. rettulerunt

M. Pohlenz et F. Leo.

Examen rigorosum habitum est a. d. III. Kal. April. MCMXII.

Matri meae

S.

Prooemium.

De narrationum, quae extant in comoedia, origine et generibus.

Comoediam Atticam veterem compositam esse e partibus maxime diversis sive aetatem spectes sive originem, nemo nescit. Qua de re ut melius iudicare possemus, effectum est cum aliorum virorum doctorum opera, tum eorum qui compositioni comoediae Atticae inquirendae maximam operam dederunt, *Zielinski*[1]) et *Mazon.*[2]) Tamen adhuc pars extat ex omni parte neglecta, quamquam digna est quae accuratius tractetur.

Quicunque perlegit fabulas Aristophanis, statim animadvertit multa in eis narrari, harum autem narrationum duo extare genera. Unum nos reducit usque ad origines comoediae Atticae; tum *κῶμος* ille homines talibus carminibus perstrinxit qualia praebet, ut exemplum afferam, fabula Ranarum vv. 420 sqq. Quae talibus locis proferuntur, non ad actionem fabulae spectant, sed per se stant. Itaque apparet has narratiunculas plane diversas esse ab iis, quae *partem actionis* conficiunt. Tales prius praebere non potuit comoedia, quam ipsa praebebat actionem, quae tota in scaena agi non iam posset. Qualis antea fuerit actio, demonstrant et scaenae episodicae, quae post parabasin illustrare solent in altera fabulae parte statum antea confectum, et agon qui dicitur; quas antiquissimas esse partes comoediae omnes consentiunt. In iis autem omnia fere per actionem proferuntur.

Paulatim comoediae structura, quam invenimus in Aristo-

---

[1]) Die Gliederung der altattischen Komoedie. Leipz. 1885.

[2]) Essai sur la composition des comédies d'Aristophane. Paris 1904.

phanis fabulis, confecta est ita, ut illi qui tales scaenas agebant cum choro commissantium sese coniungerent; tamen nunquam factum est, ut plane in unum confunderentur chorus, agon, scaenae episodicae, quamquam in Lysistratae certe fabula non multum aberat quin hoc efficeretur. Ita factum est, ut comoediae parabasi in duas dividi soleant partes, quarum prior actionem continet, altera constat e scaenis episodicis, quae statum actione confectum illustrant. Quae cum ita sint, haud difficile est intellectu narrationes, quantum ad actionem spectant, in comoedia nunquam tantas agere potuisse partes quantas in tragoedia, in qua ut inde ab origine plura narrabantur quam agebantur, ita ne novissimis quidem temporibus omnia, quae ad argumentum fabulae pertinuerunt, in scaenam produci poterant, sed ab aliquo narranda erant.[1])

Tamen in illo quoque genere fabularum haud paucae extant scaenae, quibus pars actionis narratur, non agitur; quas tractandas mihi proposui. Quia non per se intellegitur, quare haec agantur, illa narrentur, in unoquoque loco quo res non patet quaerendum est, qua de causa omnino poeta narrationem instituerit. Sane erant, quae neque in tragoedia neque in comoedia in scaenam produci possent; tamen certas res altera sola inducere poterat. Nulla comoedia praebet mortem aut veram hominis calamitatem; nulla tragoedia talem contionem qualem poeta produxit in Acharnensibus. Illas res sensus removit a comoedia; has a tragoedia retinuerunt difficultates scaenicae, quae minus valebant in comoedia, quippe quae multo plura et magis diversa tractaret et imaginationi spectantium graviores partes tribueret.

Progrediamur autem ita, ut omnibus locis qui ad rem pertinent collectis et dispositis quaeramus, utrum iam in prisca inveniri potuerit comoedia narratio an aliunde in eam influxerit.

Cave putes supervacaneum esse talia quaerere. Comoediae structuram secundum tragoediae exemplum confectam esse consentaneum est; itaque per se intellegitur narrationes[2])

---

[1]) Fischl, De nuntiis tragicis. Diss. Vindob. 1910 p. 63 sq.; Henning, De tragicorum Atticorum narrationibus. Diss. Gott. 1910. p. 1 sq.

[2]) Liceat mihi hac significatione et ipsas narrationes et scaenas narrativas comprehendere.

ex parte certe eo modo ortas esse, ut poetae comici actione aucta tragoediam sequerentur ita, ut ad actionem supplendam ad idem refugerent, quo poetae tragici inde ab initio usi sunt, ad narrationes. Tamen quaerendum est, quatenus ipsa elementa, ut ita dicam, comoediae talia praebere potuerint; facile nobis fingere possumus scaenas episodicas aut agonem a brevi narratione coepisse, qua res et personae inducerentur.[1])

Qui tamen de his rebus agere vult, non potest non saepius uti voce ‚parodiae'; itaque primum accurate definienda est vis huius vocis, quia non omnes idem de significatione eius sentiunt.

Ad primarium verbi sensum respiciunt, quae profert *Quintilianus Instit. IX, 2, 35:* „παρῳδή, quod nomen ductum a canticis ad aliorum similitudinem modulatis abusive etiam in versificationis ac sermonum imitatione servatur".

Quae finitio hoc modo nobis amplificanda est: *παρῳδεῖν* est verba, scaenam, modulos, actionem alicunde sumpta loco quodam ita proferre, ut, quae suo loco severa fronte audivimus, in alium conexum translata risum moverent, quia audientes sentiunt discrepantiam, quae extat inter ipsa dicta aut acta et conexum; ita efficitur ***parodia.*** Primo forma et res inter se discrepare possunt ita, ut externa poematis specie servata mutentur quae insunt; velut in Batrachomyomachia, in Hipponactis hexametris fit. Tum singula verba, scaenas, cetera, quae huc spectant, e proprio conexu solvere et in alium transferre possumus minus aptum ad ea recipienda ita, ut nihil in iis mutemus; quod persaepe fit in comoedia. Opponitur sermo humilis stilo tragico vel epico, distant mores vitae cottidianae ab altitudine verborum quae proferuntur; ita risus movetur. Denique, quae translata sunt etiam ipsa mutari possunt; quod item invenimus in comoedia[2]).

[1]) Simile quid efficiunt Ran. vv. 738 sqq., qui narrationem continent, qua agon qui sequitur praeparatur.

[2]) Cf. versum *πολυθρύλητον*, qui invenitur

Vesp. 1297/98: *τί δ' ἔστιν ὦ παῖ; παῖδα γάρ, κἂν ᾖ γέρων,*
καλεῖν δίκαιον ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ.

Thesm. 582/83: *τί δ' ἔστιν ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν,*
ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψιλὰς ἔχῃς.

Habemus unum versum tragicum bis mutatum (p. 25, a. 1).

Verba e tragoedia in comoediam translata iam antiquitus viros doctos observavisse scholia docent; quae nostra aetate collegit v. d. *Sande-Bakhuyzen: De parodia in Aristophanis comoediis. Utrecht 1877.* Nec minus illi viderunt poetas comicos non solum e tragoedia, sed etiam e carminibus epicis et lyricis talia sumpsisse. Tamen, quia plerumque e tragoedia comoedia haec sibi sumpsit, paulatim iam antiquis temporibus ‚παρῳδεῖν λέγεται, ὅταν ἐκ τραγῳδίας μετενεχθῇ λόγος εἰς κωμῳδίαν‘.[1]) Itaque iam tum intellexerunt, quod nostra aetate tam saepe neglegunt: ‚παρῳδία‘ omnino non est ‚ludificatio‘, quamquam talis esse potest. Nec tamen iam tum deerant qui putarent comoediam nonnisi ludificantem verba, scaenas, actiones alicunde, praesertim e tragoedia usurpare.

Iam supra vidimus narrationes, de quibus nos agimus, proprium locum non habere in comoedia. Duplici igitur modo institui poterant: aut poeta eas ita inseruit, ut nullo modo dissentirent a ceteris, aut ita, ut sentiremus discrepantiam extare inter verba et poeseos genus, in quo usurpantur. Volueritne hoc poeta necne quaerendum erit unoquoque loco; si consulto parodiam instituerit, quaeremus, utrum ad cavillandum hoc fecerit an tantum ad spectatores delectandos. Fieri etiam potest, ut poeta ipse talia verba sibi fingat, ut altiorem efficiat sonum loci[2]).

---

[1]) Suid.; cfr. schol. ad Ach. v. 8; Poll. X, 92.

[2]) Kock ad Av. v. 1197.

Caput I.

De iis narrationibus, quarum forma quadrat ad nuntiorum tragicorum narrationes.

Inter narrationes, quas invenimus in tragoediis, *nuntiorum* certam formam prae se ferre demonstraverunt *Henning* et *Fischl.* Nuntiorum est catastropham narrare, quae in plurimis fabulis in scaena agi non poterat[1]). Narratio, qua catastropha tragoediae profertur, in fine fabulae extare solet; in comoedia — velut in Ecclesiazusarum fabula —, quae catastrophae respondent, in priore parte narrantur, quia actio plerumque finitur ante parabasin.

Ipsum nuntium perraro invenimus apud Aristophanem; tali persona vix opus erat in comoedia, in qua tam multa non erant quae a nuntio enarrarentur[2]).

Exordiar ab illis fabulis, quae aptissimae videntur ad ea demonstranda, quae in hoc capite tractanda sunt. Incipiamus ab

Equit. vv. 611—682.

Isiciarius victor e senatu redit et quae facta sint narrat. Etsi hoc non ex omni parte idem est quod catastropha tragoediae, tamen multum ad eam pertinet, quia hac narratione demonstratur Paphlagonem non esse invictum. Quae iam extrinsecus praebet speciem tragicam;[3]) cf. vv. 611—614 (respicias quaeso metra!):

---

[1]) Cfr. p. 2.

[2]) Itaque ad nostram quaestionem nihil attinet, quod apud Sophoclem etiam custos, nutrix, mercator narrationes eodem modo quo nuntiorum institutas proferunt, apud Euripidem soli nuntii (Henn. p. 52). Non possumus Sophoclis consuetudinem cognoscere ex eo, quod alius ac nuntius tali modo narrat, quae facta sint — velut in Equitibus.

[3]) Cfr. annot. quas addiderunt Kock et v. Leeuwen; schol. ad v. 628: *ἀπὸ δὲ τοῦ ‚ἐλασίβροντα‘ καὶ τοῦτο εἴληφε τὸ ῥῆμα (ἐρείδων), ἐχόμενον τοῦ ὄγκου τοῦ προειρημένου.*

X. ὦ φίλτατ᾽ ἀνδρῶν καὶ νεανικώτατε,
ὅσην ἀπὼν παρέσχες ἡμῖν φροντίδα·
καὶ νῦν, ἐπειδὴ σῶς ἐλήλυθας πάλιν,
ἄγγειλον ἡμῖν πῶς τὸ πρᾶγμ᾽ ἠγωνίσω;

vv. 626 sqq.[1]) non minus isiciarius deos orans (vv. 634—638) numeris magis astrictis utitur.

Narratio nuntii tragici solet dividi in *diverbium* narrationi praemissum et in ipsam *narrationem* epilogo finitam, quo quae ipse sentiat nuntius profert.[2]) Dispositionem loci, quem tractamus, rectius quam Zielinski (p. 198) dat Mazon (p. 48); ῥῆσις isiciarii circumcluditur stropha et antistropha chori; introductionem conficiunt verba equitum, qui Agoracritum salutant. Itaque videmus schema tragoediae non esse servatum; quod tamen facile explicatur e ratione fabulae.

Chorus — qui maximas tenet partes — expectatione valde attentus redeuntem statim salutat, priusquam ille quicquam dicere potest, et anxie quaerit quomodo res evenerit; tum, postquam isiciarius respondit:

τί δ᾽ ἄλλο γ᾽ εἰ μὴ Νικόβουλος[3]) ἐγενόμην;

laetitiam cantico aperit; simul illum admonet, ut omnia narret, quae et quomodo facta sint. Ita optime illustratur chori cupiditas audiendi, qui vix expectare potest narrationem.

Haec respondent *diverbio,* quo summa rei, quae postea

---

[1]) Mirum est formas διηκοσίῃσιν, γενοίατο, χίμαρος (cfr. Zacher, Aristophanesstud. I, p. 102) vv. 659—662 solis comprehensas esse, quibus de rebus sacris agitur. Potissimum assentiar Zachero, qui l. l. exponit extare hic parodiam linguae sacrae et vetustae.

Sane etiam apud poetas tragicos tales formae inveniuntur, quas collegit Wittekind, Sermo Sophocleus. Diss. Giss. 1895. Is (p. 18) agit de vocibus in —ατο exeuntibus, quae inveniuntur et apud tragicos poetas et in Aristophanis fabulis. Tamen non observavit — quod fecit Zacher — ceteris locis has formas nonnisi in fine versuum inveniri. Neque omnino Wittekind — certe in Aristophane — rem plane expedivit.

[2]) Henn. p. 57; Fischl pp. 12; 38.

[3]) Et *nomen* et *sententiam* voci inesse nostris oculis melius demonstratur, si ‚Νικόβουλος' imprimendum curamus — quod iam Berglerus cognovit. In forma ‚νικόβουλος', quam praefert v. Leeuwen, nos quidem *nomen* non intellegimus legentes. Cfr. verba scholii, quae supra afferuntur.

narrabitur, indicari solet[1]); nec solum quod factum est indicatur, sed etiam quomodo factum sit — quod plerumque fieri solet in tragoedia.[2]) Nam verba ‚*Νικόβουλος ἐγενόμην*‘ recte sic explicat scholiasta: *ἐγώ, φησί, τὴν νίκην ἀπηνεγκάμην. ἀστείως δὲ κέχρηται τῷ συνθέτῳ καὶ τὰ ὀνόματα συνέπλεξεν ἄμφω. ἐν τῇ βουλῇ γὰρ τὴν φιλονεικίαν ἐποιήσαντο προκαλεσαμένου τοῦ Κλέωνος καὶ οἱ βουλευταὶ τὴν νίκην προέκριναν αὐτῷ.*

Sequitur *narratio* vv. 624—682, quam poeta instituit, quia hoc loco noluit producere certamen, quod in sequentibus scaenis tam saepe iteratur. Accedit quod rem multo vividius illustrare poterat narrando quam agendo.[3])

Res continua oratione narratur in tragoedia (p. 6, a. 2); eodem modo isiciarius rem nuntiat. Expectatio nostra magis magisque augetur eo, quod, quae culmen narrationis antecedunt, accuratissime describuntur: usque ad v. 673 ancipiti Marte pugnant adversarii, tum victoria ab isiciario reportata breviter res conficiuntur vv. 674—681 — idem fit in tragoedia.[4])

Nuntius statim locum, quo res acta sit, indicare solet nec minus, quis sit ipse, comperimus[5]); hoc tamen loco neque nuntii neque loci significatione opus est; isiciarium iam novimus et senatum describere erat ululas Athenas ferentis. Nuntius lacunam, quae actione post scaenam peracta relicta est, ex omni parte explere studet ita, ut initium narrationis finem actionis antecedentis excipiat et finis narrationis praeparet, quae statim

---

[1]) Henn. pp. 11, 51; Fischl p. 12.

[2]) Fischl p. 13 sq., 56 sq. severius ut hoc fiat postulat. Cfr. apud ipsum Euripidem Bacch. vv. 1029 sq.; Herc. vv. 910 sq.; Phoen. vv. 1335 sq.; *Aesch. Sept.* vv. 791 sq.; *Soph. Antig.* vv. 1278 sq. (F.); — his locis diligentem desideramus descriptionem, quia narratio deest; qua addita non postulamus, ut tam accuratum sit diverbium. Cfr. quae de hac re dixi in ultimo capite.

[3]) Minus recte rem explicat Mazon p. 42, qui negat poetam senatum inducere potuisse; quod tamen fecit in Acharnensibus (scil. contionem). Sed Mazon ipse argumentum a nobis constitutum affert ultimo loco.

[4]) Fischl p. 28 sq., 37; Henn. p. 13; *Kaibel,* Soph. El v. 720 (Fischl).

[5]) De loci indicatione cfr. Henn. p. 40; de significatione nuntii ipsius huius opusculi p. 18.

sequentur.[1]) Eodem modo haec narratio incipit inde, ubi actio finita est. Chorus ante parabasin dixerat (v. 485):

θεύσει γὰρ ᾄξας εἰς τὸ βουλευτήριον

et ταχέως (v. 495) abiit Agoracritus; unde incipit narratio v. 625:

εὐθὺς γὰρ αὐτοῦ κάτοπιν ἐνθενδ' ἱέμην.[2])

Cleo iam adest (v. 626) in senatu; quo dimisso maxime iratus festinanter recta via domum abit, dum senatores cancellos transsiliunt, ut quam celerrime in forum veniant. Iam antea clam effugit Agoracritus (v. 676), qui prius quam illi in forum advenirent, omnia condimenta coemit, quae postea daret senatoribus; tum gratulationibus eorum acceptis prius redit quam Cleo, quem tamen iam dudum advenisse expectamus. Itaque poeta ut scaenarum constructioni indulgeret, leges veritatis violavit[3]); nam opus erat isiciarium ante Paphlagonem redire, quo praesente ille continuam narrationem proferre non potuisset.

Incipit ipsa narratio a brevi prooemio v. 624:

καὶ μὴν ἀκοῦσαί γ' ἄξιον τῶν πραγμάτων[4]);

quod *Sophoclis* proprium est et id quo maxime differt ab Euripide.[5]) Epilogum continent vv. 681—82:

ὥστε τὴν βουλὴν ὅλην
ὀβολοῦ κοριάννοις ἀναλαβὼν ἐλήλυθα.

---

[1]) Henn. p. 12 sqq., p. 55 sqq.

[2]) Cfr. Soph. Oed. Col. v. 1587 et quae vv. dd. annotaverunt ad Plut. v. 653 sq. Simile est *Vetularum Pherecratis* fr. 36 K.:

εὐθὺς γὰρ ὡς ἐβαδίζομεν ἐν Ἄγρας . . .

quae verba item initium fuisse videntur narrationis; cfr. Mein. FCG II, 1, p. 267.

[3]) Frustra Kock et v. Leeuwen student hoc loco poetae ingenium a peccatis servare.

[4]) Cfr. Soph. Ai. v. 749; El. v. 680; Oed. Col. v. 1586; Trach. v. 749. Conferri potest *Pherecratis Chironis* fr. 145 K.:

λέξω μὲν οὐκ ἄκουσα, σοί τε γὰρ κλύειν
ἐμοί τε λέξαι θυμὸς (μῦθον*) ἡδονὴν ἔχει

a. quibus versibus ars musica relationem incipit de fatis suis. Haec quoque ad *Sophoclem* spectant.

[5]) Henn. p. 57.

---

*) sic non inepte Kock (Mus. Rhen. n. 30, p. 400).

quibus tale quid inest: Quanti senatus ille aestimandus sit, vel ex eo cognoscite quod tanti emi potest!

Agoracritus item ut nuntius tragicus[1]) nihil nisi quae ipse vidit narrat; quod non inconsulto a poeta sic institutum esse demonstratur fine narrationis. Isiciarius tantum narrat senatores cancellos transsiluisse — quod certe abiens etiam videre potuit —, sed non, quomodo in forum venerint. Sententiae inter se — quod fieri solet in tragoediae narrationibus[2]) — simpliciter sunt coniunctae: ὃ δὲ (vv. 626, 652, 664, 667), καὶ ἔγωγε (vv. 632, 640, 658, 647) etc.

Nuntii quam maxime vividam et illustrem facti imaginem efficere student ita, ut non solum quae homines dixerint ipsa afferant, sed etiam res et homines diligenter describant et epithetis exornent, comparationes adhibeant, denique ἐνάργειαν quae dicitur efficiant.[3]) Orationes invenimus hoc loco et rectas[4]) (vv. 642 sqq., 654 sqq., 668 sq., 671 sqq. — quibus et Sophocles et Euripides eodem modo usi sunt[5]) — et obliquas (vv. 647 sqq., 660 sqq.). Comparationes desunt, unum invenitur trimembre[6]) v. 637 sq. Accurate res describuntur vv. 631, 651 (qui tamen nullius fere momenti est; nam et ‚ἀνεκρότησαν' et ‚ἐκεχήνεσαν' tam trita sunt in sermone cottidiano, ut iis aliquid depingi vix sentiant audientes); verba illustrantia leguntur vv. 640 (quo tamen magis ethos isiciarii depingitur quam ipsa res), 646 (διεγαλήνισαν). Vv. 626 sqq., qui tragicum prae se ferunt colorem, certa vestigia non praebent eius rei, quod tragoediae exemplum comicus poeta secutus sit, quia Aristophanes mores Cleonis παφλάζοντος eis pingere voluit. Talia, qualia sunt ἀναχανών et similia (vv. 641, 642; v. 651 iam supra commemoravi) tritissima sunt in comoedia; vix iis aliquid significavit Aristophanes. Omnino comoediae est descriptio senatus huc illuc inclinantis (vv. 651—657—662);

---

1) Henn. p. 23; 53.
2) Fischl p. 47; Henn. p. 32.
3) Fischl p. 50 sq.; ad epitheta F. p. 34 sq.; Henn. p. 28 sq.
4) Fischl p. 36; Henn. p. 36, 56.
5) Henn. Sophoclem hoc minus fecisse autumat; tamen ipse optime se refutat exemplis e Sophocle allatis (p. 56).
6) cfr. additamentum.

denique senatores Agoracrito blandientes depinguntur v. 680. Itaque pauca tantum restant, quae vere ad ἐνάργειαν illam efficiendam spectent neque aliquo modo e comoediae natura ac moribus explicari possint. Figurae[1]) non inveniuntur; de vv. 641/42 iam dixi et anaphora, quae extat v. 680: *οἱ δ' ὑπερεπῄνουν ὑπερεπύππαζόν τέ με* augendi causa usurpata est.

Vidimus apertum Sophoclis vestigium extare in prooemio narrationi praemisso, quod hic quoque invenimus. Artem narrandi in hac narratione diligenter excultam esse vix dici potest, certe non ita ut in Euripidis fieri solet (Henn. p. 57); itaque cognoscimus hac in fabula Euripidis rationem narrandi nondum tanti fuisse ponderis, ut Aristophanes tragoediam imitatus eam sequeretur.

Quale sit *ethos* Agoracriti, aperte demonstrant quae dicit facitque vv. 634 sqq., 640, 658 sqq., 676 sqq. *'Ηθοποιΐαν* Sophocles sectatus est, Euripides neglexit[2]); tamen hic non habemus Sophoclis vestigia. Agoracritus per totam fere fabulam certum praebet ethos; itaque apparet id hac quoque in narratione expressum esse. Nusquam praesenti tempore[3]) vivido utitur isiciarius, praeter v. 629 et 680 nulla extant signa affectum narrantis indicantia, quae ullius ponderis esse putes. Affectus autem nuntiorum deminuere solet Sophocles.[4])

In tragoedia, quare adeat quare exeat nuntius, comprobari solet.[5]) Bene aditum Agoracriti probavit poeta; chorus (vv. 611 sq.) aperte dicit se illum expectasse. Narratione finita ille in scaena manet.

Iam summam totius facere possumus: Consulto poetam parodiam tragoediae instituisse dico ita, ut inde ab initio sono tragico ad hanc rem verteret animos spectantium;[6]) omnia quae certae

---

[1]) cfr. additam.

[2]) Fischl p. 58; Henn. p. 57.

[3]) De tempore, quo nuntii in narrando utuntur, egit Fischl p. 53 sq. Quae tamen dicit p. 55: ‚Talia praesentia non minus apud Sophoclem occurrere quam apud Euripidem‘, diligentius etiam examinanda sunt.

[4]) Henn. p. 57.

[5]) Fischl p. 22 sq.

[6]) cf. quae Kock, alii adnotant. Leo (Gött. gel. Anz. 1904, p. 944) parodiam consulto non institutam esse suspicari videtur.

originis cognovimus signa ad *Sophoclem* revocanda erant. Denique negare non possumus poetam hanc scaenam magna cum arte cum sequentibus non coniunxisse.

Iam transeamus ad fabulam, cuius ipsa „catastropha“ narratur modo plane tragico, dico

Plut. vv. 627—770.

Redit *Cario,* servus Chremyli, laetus nuntians oculorum lumina Pluto ab Aesculapio reddita esse.[1]) Qua re ipsa fabulae actio finitur; quae sequuntur, statum rerum eo modo confectum illustrant. Si quaerimus qua de causa haec narrentur, non agantur, inprimis respiciendum est totam Pluti fabulae compositionem longe distare ab antecedentibus. Temporibus, quibus acti sunt Acharnenses, Equites, Nubes, maior fuit licentia hac quoque in re quam ineunte saeculo quarto. Plutus ex omni parte tanta est aequalitate et constantia, ut iam simillima sit comoediae novae quae dicitur; cui concinnitati multo magis aptum erat talem rem narrari quam agi. Et eo ipso quod Aristophanes rem *narrat* demonstratur eum e tragoediae institutione pendere; denique multo aptius Cario narrando quam agendo rem nobis ante oculos ponit, quia narrare potest, quae agi non possunt.

Lacuna actionis optime expletur; Chremylus dicit Blepsidemo v. 620:

ἐγὼ δὲ καὶ σύ γ᾽ ὡς τάχιστα τὸν θεὸν
ἐγκατακλινοῦντ᾽ ἄγωμεν εἰς Ἀσκληπιοῦ.

et ille respondet:

καὶ μὴ διατρίβωμέν γε, μὴ πάλιν τις αὖ
ἐλθὼν διακωλύσῃ τι τῶν προὔργου ποιεῖν.

Inde incipit Cario v. 653:

ὡς γὰρ τάχιστ᾽ ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεὸν . . .[2])

In fine narrationis dicit v. 765 mulieri:

μή νυν μέλλ᾽ ἔτι,
ὡς ἄνδρες ἐγγύς εἰσιν ἤδη τῶν θυρῶν

et v. 770:

ἐγὼ δ᾽ ἀπαντῆσαί γ᾽ ἐκείνοις βούλομαι.

---

[1]) schol.: *ὁ θεράπων ἔρχεται ἀγγέλλων τὸν Πλοῦτον ἀναβλέψαντα.*
[2]) Cfr. Soph. Oed. Col. v. 1587. Henn. p. 12.

Et statim illi adveniunt chori cantico perfecto.

Totam hanc scaenam tragicum praebere colorem iam pridem viri docti cognoverunt. Dictionis tragicae vestigia invenis in editionibus; itaque satis est exempla tantum afferre.

Multo melius quam in Equitum fabula dispositio narrationis nuntii solita servata est; statim discernimus:

I. diverbium[1]) vv. 627—652.

II. narrationem vv. 653—770.

Diverbio summa rei indicatur vv. 633—636:

> ὁ δεσπότης πέπραγεν εὐτυχέστατα,
> μᾶλλον δ' ὁ Πλοῦτος αὐτός· ἀντὶ γὰρ τυφλοῦ
> ἐξωμμάτωται καὶ λελάμπρυνται κόρας[2])
> Ἀσκληπιοῦ παιῶνος εὐμενοῦς τυχών.

Itaque etiam, quomodo res acta sit, nuntiatur. Diverbium sequuntur versus modulique plane tragici, quibus chorus laetitiam suam exprimit.[3]) Tum exit uxor Chremyli, quae iam diu Carionem expectavit (v. 643); cui ille omnia accurate exponit.[4])

Quare adeat Cario, nemo quaeret; non solum nos eum expectamus, sed etiam uxor Chremyli; qua de causa abeat, ipse indicat (v. 770).

Magno affectu chorum Cario alloquitur vv. 627 sqq.;[5]) etiam quae sequuntur affectum narrantis indicant, cfr. vv. 633, 644,

---

[1]) Cfr. Iph. Taur. vv. 1284—1326.

[2]) De vv. 634—35 cf. Bakh. p. 185; certe artissime cohaerent.

[3]) Scholiasta, qui ad v. 637 adnotat: ‚τινα γελᾷ τῶν τραγικῶν‘, ex suo ingenio hoc concludit; cfr. Bakh. p. 189.

[4]) Etiamsi Cario non statim uxorem certiorem facit de gravissimis rebus, tamen summam totius ei nuntiat v. 646:

> ὡς ἀγαθὰ συλλήβδην ἅπαντά σοι φέρω.

Certe poeta eum *δισσολογεῖν* noluit (cfr. schol. ad Soph. Ai. v. 784) ita, ut Soph. Ant. vv. 1155 sqq.; quo loco frustra Sophoclem accusat Fischl. Nam in his versibus ita vis dramatica et intentio animi valde augetur. Euripides in Iph. Taur. vv. 1289 sqq. eandem rem duplici modo profert (cf. vv. 1313 sqq.), illud vitium fugiens. Si fieri non potest, quin ipsam rem repetant, poetae se excusare videntur, cfr. Soph. El. v. 676; Eur. El. v. 770.

[5]) Cfr. Soph. Oed. Col. v. 720. El. v. 1326.

654/55, 685, 704, 706, 712, 738 (*ὦ δέσποινα*); tanto affectu res proferre proprium est nuntiorum Euripidis.[1])

Narratio ipsa non ab uno continua oratione profertur, sed Cario cum uxore Chremyli colloquitur; quae tamen interlocutoris munere fungitur ita, ut narrationem ab uno proferri dicere possimus. Nimis dura érat tam longa narratio continua in comoedia, cuius vivido sono aptior est dialogus; praeterea dialogo instituto multae facetiae effectae sunt, velut vv. 650 sqq., 684 sqq., 705 sq.; 712, 713 sq.

Narratio statim incipit a rebus ipsis nullo prooemio praemisso; id quod iterum est Euripideum.[2]) Vv. 649—652 adponendi sunt diverbio; transitum faciunt ad narrationem, cfr. Eur. Iph. Taur. v. 1322, Androm. v. 1079. Ea quae culmen narrationis antecedunt, Cario accuratissime describit vv. 653—736; item, quae restant, minus diligenter enarrantur. In fine extat epilogus satis longus vv. 760—763, quocum conferas Eur. Iph. Taur. vv. 1411 sq., Suppl. vv. 726 sqq. Apparet institutionem eandem esse quam in tragoedia; iam prodeamus ad singulas res.

Versus chori, qui diverbium sequuntur (637; 639—40) plane tragicos esse iam dixi; satis erit apponere v. 637:

λέγεις μοι χαράν, λέγεις μοι βοάν.

Praeterea dictionis tragicae exempla inveniuntur vv. 660 sqq. (*Ἡφαίστου φλογί*), 757 sqq.; vv. 627—640 et vv. 758 sqq. trimetros praebent, qui tragoediae severitatem spirant. Omnia, quae narrat, se ipsum vidisse Cario dicit v. 576:

ἔπειτ' ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα . . .[3])

Poetam hanc legem bene sensisse indicant vv. 713 sqq. Cario, qui v. 707 narravit se caput veste velasse, nihilominus cetera enarrat, quasi ipse viderit. Tum mirans mulier quaerit v. 713:

σὺ δὲ πῶς ἑώρας ὦ κάκιστ' ἀπολούμενε,
ὅς ἐγκεκαλύφθαι φῄς;
et ille: *διὰ τοῦ τριβωνίου·*
ὀπὰς γὰρ εἶχεν οὐκ ὀλίγας μὰ τὸν Δία.

---

[1]) Henn. p. 23; 54.

[2]) Henn. p. 57.

[3]) Fischl p. 55 paulo fusius de voce ‚*ὁρῶ*' disserit.

Itaque expressis verbis poeta rem probat. Et ipse Cario, qua de causa omnia videre potuerit, dicit v. 672:

κἀγὼ καθεύδειν οὐκ ἐδυνάμην.

Consentaneum est in vivida narratione tempus praesens usurpari; cfr. vv. 676, 683 (in hoc versu expectatio augetur et tempore et interpellatione). Ceterum praeterito tempore Cario utitur (*ἔστι* v. 665 per se intellegitur) et v. 750 iterum *αὐτοψίαν* testatur forma ‚*ἦν*‘ scil. cum abibam: non dicit ‚*ἐστίν*‘; ‚*ἔρχεται*‘ (v. 749) dicere potest, quia Plutum proficisci ipse vidit neque *ἄνδρας ἐγγὺς εἶναι τῶν θυρῶν* difficile est intellectu.

Uno tantum loco (vv. 724/25) ipsa, quae deus dixit, afferuntur, certe ut eo magis cavillatio Neoclidis praedicetur. Ceterum *ἐνάργεια* hic quoque efficitur ita, ut saepe poeta accurata descriptione vim comicam augeat. Ita describuntur, quae sacerdos fecerit vv. 676—681; quomodo filias Aesculapii Cario tractaverit vv. 696—703; quomodo deus Neoclidem et Plutum curaverit vv. 710—738.

Tamen v. 750 breviter dicitur multos homines circa Plutum fuisse; unde venerint, qui fuerint, non exponitur. Ita optime demonstratur in hac altera parte narrationis culmine superato omnia breviter tantum referri.[1])

Neque desunt epitheta tragico more ad res bene illustrandas addita: cfr. v. 693 (*δριμύτερον γαλῆς*), 722 (*ἀνακεκραγὼς καὶ βοῶν*), 723 (*γελάσας*, si vis, *ἀναΐξας*); 756 verba pingentia:

ὀφρῦς ξυνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ᾽ ἅμα

v. 757—58:

ἐστεφανωμένοι
γελῶντες εὐφημοῦντες.

Similitudo latet in verbis: ‚*οὐ λιβανωτὸν γὰρ βδέω*‘ v. 703 et 690: *ὡς παρείας ὢν ὄφις.* Locum, quo res acta sit, breviter tantum Cario indicat v. 659:

ἔπειτα πρὸς τὸ τέμενος ἦμεν τοῦ θεοῦ.[2])

Trimembria[3]) invenimus haec:

---

[1]) Huiusmodi exempla e tragoedia affert Fischl p. 37.

[2]) Henn. p. 40.

[3]) Cfr. additamentum.

vv. 656 sqq.

πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν,
ἔπειτ᾽ ἐλοῦμεν, —[1])
ἔπειτα . . . ἦμεν κτλ.

vv. 710/11, quae verba plane comoediae attribuenda sunt.

vv. 757 sqq.

ἐστεφανωμένοι
γελῶντες εὐφημοῦντες . . .

Vv. 757 sq. tragoediam spirare supra commemoravi.

v. 761:

ὀρχεῖσθε καὶ | σκιρτᾶτε καὶ | χορεύετε.

Figuras invenimus has: v. 637 (in cantico tragico!):

λέγεις μοι χαράν, λέγεις μοι βοάν.

v. 695:

ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ . . .[2])

V. 637 bene demonstrat verba et metra tragica ratione componendi efferri posse: sunt duo dochmii, quorum uterque continet unum periodi colon.

Artem narrandi in hac narratione non mediocriter excultam esse nemo negabit; id quod Euripidem magis fecisse quam Sophoclem iam dixi.

Singulae res simpliciter inter se coniunctae sunt; cfr. vv. 659, 660, 676, 681, 681, 695 (*ἔπειτα*); 697, 727 (*μετὰ τοῦτο*); 653, 668, 688 (*ὡς γάρ, δέ*) etc.

De *ἠθοποιΐᾳ* idem dicendum est quod in Equitum narratione (p. 10). Mores Carionis bene depicti sunt; cui mulierem timidam et superstitiosam Aristophanes opposuit, ut dialogum hac oppositione optime ornaret. Non aliter tota in fabula — id quod ut alia multa novae est comoediae — mores hominum aperte significantur. Cf. hoc loco vv. 650/652; 683 sqq., 705 sq., quibus uxor Chremyli stupet sacrilega Carionis verba:

Γ. λέγεις ἄγροικον ἄρα σύ γ᾽ εἶναι τὸν θεόν.
Κ. μὰ Δί᾽ οὐκ ἔγωγ᾽, ἀλλὰ σκατόφαγον.
Γ. αἲ τάλαν.

---

[1]) Sic interpungendum est, non — quod fieri solet — ‚*ἐλοῦμεν.*‘ Oratio continua a muliere interrumpitur.

[2]) Cfr. *Phryn. Monotr.* fr. 24 K.

ἔπειτ᾽ ἐπειδὰν τὸν λύχνον κατακοιμίσῃ . . .

Quin etiam stulta mulier (vv. 657/58, 711 sqq.) ea quae ipse poeta sentit exprimit v. 726, postquam Cario narravit quomodo Neoclidem „sanaverit“ deus, verbis:

ὡς φιλόπολίς τις ἐσθ᾽ ὁ δαίμων καὶ σοφός!

i. e. optime fecit ita illum tractans; e quibus quanti poeta Neoclidem aestimaverit audimus.

Apparet hanc narrationem ex omni parte institutam esse secundum exemplum narrationis nuntii tragici, initio et in fine etiam extrinsecus tragico colore imbutam;[1]) et demonstravi poetam in hac narratione instituenda *Euripidis* etiamsi mortui consuetudinem secutum esse; nulla invenimus Sophoclis vestigia, sed sola quae Euripidis sunt propria. Consulto hoc loco Aristophanem parodiam scaenae tragicae instituisse iam inde apparet, quod initio etiam externam versuum speciem tragico tinxit colore, ut statim ad hanc rem animum spectantium dirigeret; itaque concludere debemus tragoedias eius aetatis hac in parte instituta, quae habuit Euripidis temporibus, servasse. Nam certe si quae mutata essent poeta hic, ubi tam anxie premit vestigia tragoediae, eas mutationes accepisset.

Fortasse quispiam quaerat, qua de causa tam longam narrationem instituerit poeta, qua de causa omnino tragoediam imitatus sit. Ad hoc haud difficile est responsu:

Quod aptissimae erant fraudes, ad quas conficiendas iam tum rebus sacris utebantur, quae hoc modo in scaena proferrentur et detegerentur. Qua tamen de causa tam longam fecerit narrationem Aristophanes, optime explicat Mazon (p. 166): ‚C'est un morceau à effet, *dont les détails peuvent être spirituels et piquants,* mais qui ne présente pas d'interêt pour la marche générale de la comédie.‘

Progrediamur ad narrationem quae extat in

Av. vv. 1118—1165.[2])

[1]) Similem narrationem poeta instituisse videtur in *Amphiarai* fabula (docta a. 414); quae fabula aptissima erat ad talia efficienda. Cfr. fr. 21 K.

‚ἄλλ᾽, ὦ θύγατερ᾽· ἕλεξ᾽, ᾽Ιασοῖ πρευμενής‘

quae verba sumpta videntur e huiusmodi narratione (Mein. FCG. II, 2, p. 955); cfr. Plut. 701 sqq. Narrationi igitur non defuerunt orationes rectae; itaque hic quoque illustrem descriptionem datam esse suspicari possumus.

[2]) Iam hic pauca erunt dicenda de tota scaena vv. 1118—1187.

Sola in hac fabula cardo actionis — non finis — a vero *ἀγγέλῳ* (cfr. v. 1119) nuntiatur, qui festinanter accurrens narrat Nubilocuculiam ex omni parte munitam esse. Hoc esse, a quo pendeat Pisetaeri imperium, ipse dicit vv. 183 sqq.:

ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο καὶ φάρξηθ' ἅπαξ,
ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις.
ὥστ' ἄρξετ' ἀνθρώπων μὲν ὥσπερ παρνόπων,
τοὺς δ'αὖ θεοὺς ἀπολεῖτε λιμῷ Μηλίῳ.

Qua de causa poeta haec in scaenam non produxerit, nemo quaeret.

Pisetaerus (v. 837) Euelpidem dimittit in aërem, ut muris exstruendis operam navet; simul iubet eum praecones mittere et ad deos et ad homines, unde ad se revertantur.[1]) Quo facto ad sacrificium se praeparat, quod tamen vario modo turbatur ita, ut tandem (v. 1057) Pisetaerus se recipiat. Cantico chori et sacrificio perfecto iterum redit in scaenam (v. 1118) nuntium expectans, qui statim accurrit.[2]) Narratione finita iam prodit custos (v. 1168), qui nuntii munere functus narrat unum e dis in novam urbem involasse; qua re audita omnia ad bellum praeparantur.

Tota scaena hanc praebet dispositionem:

I. a) vv. 1118—1121 Pisetaerus
   b) vv. 1122—1165 nunt. Pis. chor.
II. a) vv. 1166—1169 Piset.
   b) vv. 1170—1187 custos Pis.

Nuntius igitur rem antea institutam perfectam esse narrat, custos novam rem nuntiat, quae actionis partem movet.

Omnes fere personas, quae in hac fabula *nuntii* munere funguntur, eodem modo tractatae sunt. Non solum similiter inducuntur nuntius, custos, praeco:

n. vv. 1119 sqq.:

Π. ἀλλ' ὡς ἀπὸ τοῦ τείχους πάρεστιν ἄγγελος

---

[1]) Recte Kock praeconem ad deos missum non esse dicit (ad v. 843); poeta, quod sane ei facere licuit quodque haud semel fecit, hanc rem neglexit et novam instituit, legationem Iridis; quam sequuntur aditus Promethei et deorum legatio, qui omnes nihil sciunt de illo praecone.

[2]) De custode postea mihi fusius disserendum erit. (p. 75 sqq.)

οὐδείς, ὅτου πευσόμεσθα τάχει πράγματα.
ἀλλ' οὑτοσὶ τρέχει τις Ἀλφειὸν πνέων.

c. vv. 1168 sqq.:

Π. ἀλλ' ὅδε φύλαξ γὰρ τῶν ἐκεῖθεν ἄγγελος
ἐσθεῖ πρὸς ἡμᾶς δεῦρο Πυρρίχην βλέπων.

pr. vv. 1269 sqq.:

Π. δεινόν γε τὸν κήρυκα τὸν παρὰ τοὺς βροτοὺς
οἰχόμενον, εἰ μηδέποτε νοστήσει πάλιν.

(Hic quoque aperte indicatur nuntiaturus quae apud homines effecerit.[1])); sed etiam praeco et Prometheus paene isdem verbis quae sequuntur praenuntiant[2]):

pr. vv. 1304 sqq.:

ἓν δέ σοι λέγω·
ἥξουσ' ἐκεῖθεν δεῦρο πλεῖν ἢ μύριοι . . .

Prom. vv. 1531 sqq.:

ἓν δέ σοι λέγω σαφές·
ἥξουσι πρέσβεις δεῦρο . . . .

Poeta igitur hac in fabula, quae tot continet scaenas et personas, quot nulla e reliquis, quam maxime laborem variandi fugit.

Itaque rationem inducendi e primo nuntio in sequentes transtulit.[3]) Advenientem nuntii munere fungi et Sophocles et Euripides indicare solent[4]); quis sit nuntius, expressis verbis in Euripidis fabulis dicitur[5]), — in diverbio aut in initio narrationis. Sophocles hoc fecit in Philoct. vv. 539 sqq., Electra vv. 668 sqq., Trachin. vv. 731 sqq., 868 sqq., quibus in fabulis pendet ab arte Euripidis. Ceterum e narratione nuntii, quis sit, nobis concludendum est; quin etiam in Oed. Col. hoc e verbis omnino non cognovimus (quod recte monet Henn. p. 53).[6])

---

[1]) Similiter Aesch. Sept. vv. 36 sq. Eteocles speculatores se misisse dicit, e quibus statim unus adit (v. 39).

[2]) Cfr. Vesp. vv. 214 sq.; Equit. vv. 225 sqq.

[3]) Qui ultimus adit nuntius, cum praecedentibus comparari non potest.

[4]) Fischl p. 26.

[5]) Alterum Phoenissarum nuntium (vv. 1335 sqq.) ex exercitu venire e rebus apparet.

[6]) Cfr. Graeber, De poetarum Atticorum arte scaenica. Diss. Gott. 1911 p. 24 sq. Gr. — cuius opusculum sero demum mihi in conspectum venit — quae dixi, optime confirmavit.

Quis sit nuntius, statim audimus e v. 1119 et 1123: *ποῦ Πεισέταιρός ἐστιν ἄρχων;*); Pisetaerus indicat eum unum esse ex iis, qui urbi exstruendae adfuerunt, et nuntius ipse imperio Pisetaeri se subiectum esse dicit. Praeterea veri simile est eum avium instar exornatum fuisse, etiamsi aliquo modo sollemnem nuntiorum tragicorum vestitum illo adaptatum nobis fingendum est. In custode (v. 1168) et praecone (v. 1269) res patet. Hac igitur in re poeta Euripidem sequitur.

Nuntii partes tenere prodeuntes aperte dicitur vv. 1119, 1168, 1269. Itaque hic quoque Aristophanes accurate tragoediam secutus est.[1])

Prior nuntius v. 1122 anhelus accurrit[2]) et statim rem ipsam profert. Incipiendum erat secundum tragoediae usum a vv. 837 sqq., praeterquam quod tam multis episodiis (vv. 851—1057) interiectis — accedit altera parabasis vv. 1058—1117 — opus erat ipsam actionem nobis in animum revocari. Hoc quidem fecit poeta; nam verba Pisetaeri ‚*ἀπὸ τοῦ τείχους*' audientes statim recordamur exitum Euelpidis. Qua tamen de causa de hoc exitu nuntius nihil dicat, facile explicatur ex eo, quod poeta ingenio suo indulgens illum tragoediae usum neglexit, ut facilius nuntium inducere posset.

Nuntium tantum explicare qualis fuerit status rerum cum abiret, non mirum est — quomodo plura proferre poterat? Itaque caveamus ne quid ex hac re concludamus memores Euripidem ita rem instituere in prioris aetatis tragoediis.[3])

Ipsa narratio in formam dialogi redacta est, sed — id quod iam in Pluti fabula fieri vidimus, eo modo, ut pauca Pisetaerus, plurima nuntius dicat. Itaque hic quoque veram audimus narrationem. Quam ob rem poeta rem ita instituerit, iam supra de-

---

[1]) Ad Av. vv. 1119/20; 1269/70 cfr. Eur. Med. vv. 1116—17.
„ „ v. 1121; 1168/69 „ „ „ „ 1118—20.
„ „ „ 1277 „ „ „ „ 1121.

[2]) Nuntius (servus) currens etiam in tragoedia invenitur (Fischl p. 27); item in Acharn. vv. 176, 1071, 1084; Thesmoph. v. 574, nec minus in comoedia Romanorum. Cfr. Plaut. Mostell. v. 348, Ter. Adelph. v. 299. Eun. prol. v. 36.

[3]) Henn. p. 15, 55.

monstravi (p. 13). Interlocutiones occasionem praebent facetias inserendi vv. 1147, 1152 sq., nec minus, quae Pisetaerus vv. 1129, 1131 verba nuntii stupens exclamat, vim habent comicam; tamen ex eo, quod vv. 1142 sq., 1153 nihil huius modi efficitur, videmus poetam eandem habuisse rationem quam in Pluto.

Nuntius statim indicat summam rei v. 1124:

ἐξῳκοδόμηταί σοι τὸ τεῖχος,

quam postea vv. 1133 sqq. exponet. Itaque hic intellegimus consuetam dispositionem; sed verbis Pisetaeri v. 1132:

τίνες ᾠκοδόμησαν αὐτὸ τηλικουτονί;

ita inter se coniunguntur diverbium et narratio, ut nonnisi vi separari possint; sensim illud in hanc transit v. 1125—1131.

Prodit nuntius, ut, qualis sit status rerum, regi nuntiet (vv. 1119/20), abit lautum v. 1162; quod imprimis indicat poetam explicare tantum voluisse exitum nuntii — nam magni nostra non interest talia audire.

Prooemium narrationis non extat; vv. 1133—35 non efficiunt prooemium, sed transitum: nuntius respondet ad Pisetaeri quaestionem. Epilogum chori et Pisetaeri habes in vv. 1164—1167. Quo tamen epilogo non, quae sentiat, nuntius exprimitur, sed quomodo alii de rebus narratis iudicent. Iterum poeta tragoediae formis se liberavit, quia res hoc modo instituta multo magis convenit totius scaenae constructioni.

Ipsam narrationem magna ex parte descriptionem esse nemo negabit. Nuntius, si totam rem spectamus, ordinem servat:

I) vv. 1133—1151: fundamentum ponitur, laterculi parantur;

II) vv. 1152—1157: partes ligneae exstruuntur.

III) vv. 1158—1161: muro perfecto custodiae instituuntur.

Tamen in singulis (quod fieri solet in narratione cottidiana) res affert, prout in mentem venerunt.[1]) Iam vidimus diverbium cum narratione artissime cohaerere; quam ad rem etiam spectat, quod iam initio (vv. 1125—1131) nuntius de statu, qualis nunc sit, refert ita, ut praecipiat, quae in fine demum expectamus. Cum sit plenus admirationis, non satis habet dicere murum esse per-

---

[1]) Kock ad v. 1179.

fectum, sed statim addit, quae maxime eum commoverunt.[1]) Itaque narratio includitur inter vv. 1125—1131 et 1158—1168, qui versus recte defluunt.

Nuntium ea tantum narrare, quibus ipse adfuit, indicant vv. 1130, 1135, 1156 sq.

Ενάργειαν quae dicitur res quae narrantur ipsae praebent. Eo, quod lepide describuntur quibus funguntur aves munera ita, ut *quam quisque norit artem, in hac se exerceat,* comparationibus quidem non opus est; tamen neque breves similitudines (vv. 1128, 1145, 1150 loc. corr.) desunt neque epitheta illustrantia (v. 1148); accurate res describuntur vv. 1125 sqq., 1158 sqq. Videmus artem narrandi scite excultam; haud pauca e comoediae natura nata sunt — dico avium enumerationem et descriptionem.

Figuras etymologicas invenimus vv. 1152, 1155 sq. (quam figuram certe consulto poeta composuit), 1158; trimembre legitur vv. 1133 sqq., cuius membra ipsa hac in re narranda se offerunt: *πλινθοφόρος* — *λιθουργός* — *τέκτων.*

Gradationem quandam inesse narrationi patet; quae extrinsecus indicatur verbis ‚*καὶ νῦν*' (v. 1158), i. e. omnibus confectis. Culmine superato reliqua breviter referuntur. Sententias inter se simplici modo coniunctas esse (cfr. vv. 1136 sqq.: *μὲν* . . . *δὲ* . . . *δὲ* . . . *δὲ* . . . *δὲ* . . . etc.) descriptionis naturae convenit.[2])

Iam primis verbis nuntius demonstrat se maxime commotum esse neque ipsa narratio talibus caret; cfr. vv. 1125, 1135, 1144, 1148 (*καὶ νὴ Δί'*), 1155 (*σοφώτατοι*); augetur affectus interlocutionibus Pisetaeri vv. 1129, 1131, 1147 (Bakh. p. 85; schol.), 1152. Ethopoeia plane deest; aperte cognoscimus, quae Euripidis sunt propria.

Omnia si respicimus, hanc summam facere possumus: Poeta notas et formam tragoediae ita delevit, ut non iam haec tragica esse sentiamus nisi accuratius rem investigantes. Quae tamen inveniri possunt signa, ad *Euripidem* nos revocant.

---

[1]) Similiter Danaus in Aesch. Suppl. v. 600 sqq. (quae fabula extat vetustissima) et incipit et res eodem modo profert (Henn. p. 61). Est modus narrandi nondum artificiose excultus.

[2]) Itaque supervacaneum est, hanc rem in unoquoque eiusdem generis loco denuo commemorare.

Pro certo habeo Aristophanem totius scaenae institutione apertam parodiam efficere voluisse, imprimis autem in nuntii narratione componenda. Omnes, qui aderant in theatro, bene noverant *ἄγγελον* tragoediae — nonne Pisetaero nuntium tam clare indicante statim illius recordati sunt? Accedit quod (cfr. p. 19, ann. 1) ne verba quidem, quibus ille utitur, aliena sunt a tragoedia; et certe Athenienses, quanta erant sagacitate, tales res multo facilius sentiebant quam homines nostrae aetatis. Praeterea si ponimus nuntium ita exornatum fuisse, ut aliquo modo nuntiorum tragicorum vestitum cum avium specie coniungeret, parodia perfecta est; quae tamen hac ex parte magis externa forma quam ipsis verbis efficitur. Revera hic discrepantiam sentimus, quae extat inter hanc formam et munus, quo nuntius fungitur. Licet suspicari poetam omnino hac de causa nuntii personam produxisse, ut tam speciosam institueret parodiam nuntiorum tragicorum.

Denique poeta hoc loco parodiam composuit eorum, quae ab historiographis illius aetatis narrabantur. Ad talia animos spectantium iam revocavit vv. 551 sq.:

κἄπειτα τὸν ἀέρα πάντα κύκλῳ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ
περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς ὥσπερ Βαβυλῶνα.

Babylonem tum notissimam fuisse etiam apud eos, qui ipsius Herodoti vel aliorum opera non legerant, consentaneum est. Ipsum autem Herodotum Aristophanem respicere apparere mihi videtur e l. I c. 179:

ὀρύσσοντες ἅμα τὴν τάφρον ἐπλίνθευον τὴν γῆν τὴν ἐκ τοῦ ὀρύγματος ἐκφερομένην, ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι.

Hoc modo poeta praeparat spectatores ad ea, quae sequuntur, bene intellegenda; item ut Vesp. v. 240 iudices ineuntes Lachetis nomen proferunt (*ὡς ἔσται Λάχητι νυνί*), quo facilius postea audientes intellegant per Labetem canem Lachetem significari. Sed etiam in ipsa narratione haud pauca invenimus, quae ad *ἱστορίαν*, imprimis ad Herodotum[1]), spectant. Ad totam descriptionem cfr. quae ille refert de Cheopis operibus (II, 124 sqq.);

---

[1]) De Herodoto et Aristophane egit Weber, Arist. Studien p. 42 sq.

praecipue, quae de constructione pyramidis narrantur (c. 125), huc revocanda sunt. In vv. 1176 sqq. fingendis certe poeta in animo habuit locos, quales leguntur Her. I, 179 et Thuk. I, 93. Kock ad v. 1127 affert Herod. I, 179 et Diod. II, 3; liceat mihi perspicuitatis causa locos exscribere:

Av. vv. 1126 sqq.:

ὥστ' ἂν ἐπάνω μὲν Προξενίδης ὁ Κομπασεὺς
καὶ Θεογένης ἐναντίω δυ' ἅρματε,
ἵππων ὑπόντων μέγεθος ὅσον ὁ δούριος,
ὑπὸ τοῦ πλάτους ἂν παρελασαίτην.

Herod. I, 179:

τὸ μέσον δὲ τῶν οἰκημάτων ἔλιπον τεθρίππῳ περιέλασιν (in muro Babylonio).

Thukyd. I, 93:

δύο . . . ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον.

Diod. II, 3:

τὸ δὲ πλάτος τρισὶν ἅρμασιν ἱππάσιμον ἦν.

Ad v. 1130:

τὸ δὲ μῆκος ἐστι, καὶ γὰρ ἐμέτρησ' αὔτ' ἐγὼ . . .

cfr. Herodot. II, 127:

ταῦτα γὰρ ὦν καὶ ἡμεῖς ἐμετρήσαμεν,

IV, 86:

μεμέτρηται δὲ ταῦτα ὧδε.

Vix dubitare possumus, quin Aristophanes speraverit spectatores statim intellecturos esse, quo haec referenda sint. Tum demum parodia summam habet vim. Itaque poeta ex urbium, quae revera extabant, descriptione aliquid sumptum in urbem in aëre aedificatam transfert; certe audientes discrepantiam eo modo ortam senserunt, quia omnes fere sciebant unde haec fluxissent. Simul leviter poeta sententiam suam significat illas descriptiones non minus esse fabulosas quam eam, quam in scaena profert.

Hic igitur Aristophanes parodiam in parodia instituit; eodem modo in Pluti narratione tragica simul fraudes illae rebus sacris effectae illuduntur.

Descriptionem potius quam narrationem invenimus etiam

Av. vv. 1269—1307.

Redit *praeco* ad homines missus (v. 844) nuntians eos libenter se Pisetaeri imperio subiecisse et vitam agere plane secundum avium mores. Utrum abierit necne, non audimus; adit ut Pisetaero nuntiet, quae apud homines effecerit. Itaque bene, quare prodeat, explicatur.

Vv. 1269—76 respondent diverbio quod vocatur; tamen totius loci constructio differt a tragoediae consuetudine. Praeco, postquam salutavit Pisetaerum, coronam auream ei tradit a hominibus sapientiae causa deditam — quod gravissimum est testimonium illius *ὀρνιθομανίας*. Itaque hoc culmen descriptionis, quae sequitur, nominare potes. Quam rem quaerente Pisetaero (v. 1276) paulo accuratius explicat praeco vv. 1277—1279; qui iterum explicantur ipsa descriptione, quae voce ‚γὰρ‘ coniungitur cum iis, quae antecedunt. In vv. 1274/75 non solum coronam Pisetaero dedicari a populis praeco nuntiat, sed etiam qua de causa dedicetur — apparet tragoediae exemplum latere in his versibus.

Ipsa descriptio satis coniuncta est cum antecedentibus vv. 1280 et 1283:

πρὶν μὲν γὰρ οἰκίσαι σε τήνδε τὴν πόλιν . . . .
. . . . . *νυνὶ δὲ* (i. e. ab urbe condita).

In fine (vv. 1304—1307) quae statim sequuntur, praeparantur.

Irruit praeco verba affectus plena proferens, quibus iocose nuntiorum, qui extant in Euripidis fabulis, morem auget, quoad spiritus et verba eum deficiunt.[1])

Hic quoque *ἐνάργεια* ipsis, quae narrantur, rebus efficitur. Praesenti tempore utitur praeco vv. 1284—85; quibus generaliter rerum status, qualis nunc sit, significatur; deinde, quae ipse in terra fieri vidit, narrat imperfectum tempus usurpans.

Simili modo composita est narratio, quae legitur

Vespar. vv. 1292—1325.

---

[1]) Sic interpretanda sunt verba:

ὦ τρις μακάρι᾽, ὦ . . . . *κατακέλευσον!*

cfr. schol.; mira eruit v. Leeuwen, qui ne scholion quidem recte interpretatur.

Servus lamentans domo procurrit et choro ebrietatem domini describit. Prima quae effert verba, plena sunt affectus; qui tamen — quod de tota descriptione dici potest — non e tragoediae imitatione nascitur, sed ex ebrietate et baculo Philocleonis. V. 1296 accurate, quae summa est totius rei, profert; narrat non solum se perisse, sed etiam se perisse vapulantem.

Quam summam item ut praeco explicat paulo fusius vv. 1299—1303; quos sequitur ipsa narratio, quae iterum vocula ‚*γάρ*' coniuncta est cum versibus, qui praecedunt. Scilicet voce ‚summae' hoc loco id significo, quod *servo* gravissimum est totius rei.

Chorus, quae facta sint, e servo quaerit vv. 1297—98; qui versus apertam continent parodiam [1]).

Ipsa descriptio bene cum iis, quae antecedunt, conectitur. V. 1264 filius cum patre ad cenam abiit; ab ipsa cena incipit servus v. 1309. Quae intera facta sint, etsi non narrat poeta, facile tamen ipsi nobis fingere possumus [2]) neque magni interest de iis certiores fieri. In fine v. 1324 Philocleonis aditus a servo indicatur.

Narratio — nam hoc loco tam meram descriptionem non habemus quam in Avibus — vividam et illustrem rei imaginem dat. Afferuntur verba Philocleonis et convivarum et recta (vv. 1307; 1309—10; 1316—18) et indirecta (vv. 1311—13); accurate res describuntur vv. 1305 sqq., 1319—21, adduntur verba illustrantia vv. 1307; 1315 — cfr. schol. de voce ‚*διεμύλλαινεν*' — 1320—21; 1324 (*σφαλλόμενος*, cf. schol.), et similitudo v. 1306; ita efficitur narratio, quae digna est nuntio Euripideo. Quae tamen res e loci natura explicanda est; nam poeta convivium tam diligenter describens risum audientium movere vo-

---

[1]) Ad v. 1297 cfr. Thesmoph. v. 582—83, qui eadem fere praebent. Poeta igitur in utroque loco in animo habuit notum tragoediae cuiusdam locum, etsi neque tragoediam neque poetam novimus (frustra Fritzsche Euripidem fuisse affirmat). Ridicule locum mutavit Aristophanes Plut. v. 963 (cfr. v. Leeuwen). Item in duobus fabulis aetatis exeuntis, in ‚*Gerytade*' et ‚*Aeolosicone*' eodem modo eundem Euripidis locum imitatus esse videtur. Cfr. Mein. FCG II, 2, p. 946.

[2]) Quod tamen etiam in tragoedia non raro nos facere opus est; cfr. Henn. p. 12.

luit; id quod imprimis indicant verba Philocleonis et convivarum, quae refert servus. Etiam hic, in versibus, qui plane sunt comoediae, inveniuntur figurae vv. 1320, 1322.[1])

Quam ob rem exierit servus, clare apparet; qua de causa abeat, ipse v. 1325 exponit. Gradationis, quae inest narrationi, fines significantur v. 1304:

εὐθὺς γὰρ ὡς ἐνέπλητο πολλῶν κἀγαθῶν

et 1322:

ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ ᾽μέθυεν . . . .

Prooemium non inveniri in tali narratione iam demonstravi in loco Avium tractando. Epilogum suo iure omisit poeta; nam in transitu, quem legimus, vis quaedam est scaenica, quae bene significatur proverbio *lupus in fabula!* — Quae epilogo addito minueretur, quia is celeritatem transitus retardaret.

Quae cum ita sint, cognoscimus tragoediae institutionem in comoediae formas redactam, etiamsi certum exemplum, quod poeta secutus sit, ostendere non possumus.

Non minus in indicatione nuntii Aristophanes se solvit tragoediae legibus. Servum, quae intus facta sint, nuntiaturum esse non prius audimus, quam narrare incipit. *Servum* prodire statim conicimus audientes, quae dicit vv. 1292 sqq.; quem ipsum convivio adfuisse apparet e v. 1307. Veri simile est haec narrari ab eodem, quem v. 1251 Bdelycleon cenam parare iubet (quae in cista portetur[2]), qui ‚Χρυσέ' vocatur.[3]) Sed omnino supervacaneum est talia accuratius investigare.[4])

---

[1]) Ad v. 1320 ‚λόγους λέγων' cfr. Ach. v. 299, Nub. v. 1445, Vesp. v. 1238, Lysistr. v. 747, Plut. v. 523; ad v. 1322 ‚ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ' Plut. v. 695. De his omnibus cfr. additamentum.

Plura huius generis exempla undique collecta affert v. Leeuw. ad Ach. v. 177.

[2]) Recte v. Leeuw. confert Ach. v. 1085 sq., cfr. schol. ad v. 1086.

[3]) De nomine cfr. Wilam. Arist. u. Ath. II, p. 175, an. 14; Wesp.*) p. 483, an. 2. Wil. nomen ‚Χρυσός' extare omnino negat, pro quo scripsit ‚Κροῖσε'; posterioribus certe temporibus, ‚Χρυσός' invenitur CJG 276, 485.

[4]) Item Wilam. Wesp. p. 478 iudicat: „Darnach fragen wir nicht"; quod ad haec omnia respicit. Is quoque de servo dicit: „Es muß eigentlich der sein, der ihnen den Korb getragen hat;" et ‚nuntium' eum appellat item ut Leo (M. i. D. p. 35) de v. 1479 sqq. dicit: „Eine Art Botenrede".

---

*) SBB. 1911.

Ubi res acta sit, scimus e. v. 1250. Ethopoeia deesse solet in servis, qui inveniuntur in Aristophanis fabulis. Neque praeco Avium certum ethos habet [1]).

Descriptionem, quae suum tenet locum, invenimus in

Lysistr. vv. 706—780.

Lysistrata cum mulieribus, quae iuraverunt se a voluptatibus Veneris abstinere velle, in Acropolim se recepit; frustra chorus senum eas expellere conatus est, foede probulus repulsus est — tamen consilio Lysistratae periculum imminet. Nam ipsae mulieres, quae pollicitae sunt, non servant; conantur ex arce effugere in urbem, ad viros. Hoc Lysistrata choro nuntiat vv. 706 sqq.[2])

Statim videmus hanc scaenam in duas partes esse dividendam, quarum una continet narrationem, altera exempla quibus quae Lysistrata narravit illustrantur.

Vv. 706—717 [3]) efficiunt diverbium plane tragici; quin etiam partim e tragoedia translati sunt.[4]) Chorum interiectionibus personam loquentem interrumpentem etiam in tragoedia invenimus.[5]) Expectationem magis magisque auctam subito solvit Lysistrata v. 715:

βινητιῶμεν — ἦ βράχιστον τοῦ λόγου.[6])

---

[1]) In Equitum fabula certa ratio poetam commovit, ut mores servorum, qui initio fabulae prodeunt, accuratius depingeret; hos enim cum ceteris servis comparare non debes. Quod in aliis fabulis prius non fecit, quam graviores partes servi tenebant, dico in Ranis et in Pluto, Tamen nec Xanthias nec Cario multum differunt a ceteris nisi eo, quod gravioris sunt momenti in actione perficienda ita, ut servi, qui extant in nova quae dicitur comoedia. Cfr. Wilam. Wesp. pp. 482, 483.

[2]) Non recte de hac scaena iudicat Mazon p. 118; ‚le resultat de la coniuration des femmes' est pax, quae in fine fabulae constituitur. Hic habemus, quae ex illa coniuratione sequuntur, ‚les conséquences'.

[3]) V. 717, quo Lysistata verba chori (v. 716) refutat, diverbio adnumerandus est; quod iam voce ‚οὕτως' demonstratur, quae apud Aristophanem semper ad ea, quae antecedunt, spectat nisi in formula ‚οὕτως ὥστε'.

[4]) cfr. scholl.; Bakh. p. 104.

[5]) Soph. Oed. Col. vv. 207 sqq. Eur. Jon. vv. 735 sqq. ad v. 703 cfr. Aesch. Pers. vv. 155 sq.

[6]) Cfr. Soph. Ant. v. 1175; Eur. Hipp. v. 1162; El. v. 770. Simillimus extat versus apud Sophoclem (El. v. 673):

A v. 718 incipit narratio s. descriptio; quam usque ad finem scaenae perductam non esse iam dixi. Optime poeta narrationem nuntii miscuit scaenae comicae et cognoscere possumus, qua de causa hoc fecerit: quae Lysistrata *narrat,* in scaena agi omnino non poterant. Tamen omnia, quae fiunt, per narrationem continuam proferri facile tibi fingere potes, quam Aristophanes solvit secundum formam comoediae solitam. Quae narrantur in prima parte, in altera exemplis, quae ipsi fieri videmus, demonstrantur ita, ut in totis comoediis ea, quae in parte ante parabasin posita facta sunt, in posteriore parte illustrantur. Vv. 725—728 narratio artificiose transit in actionem.

Item, ut praeco Avium et servus Vesparum, Lysistrata, quae in diverbio profert, vv. 718—19 accuratius describit; sequitur ipsa narratio vv. 720 sqq.[1]) Haec scaena eo differt ab illis, quod vv. 718—19 non solum descriptione, sed etiam tota scaena, quae continuatur, illustrantur et explicantur.

Lacunam actionis hac ‚narratione' expleri dicere vix possumus; nam ipsa actio ante oculos nostros producitur. Tamen, quae narrantur et aguntur, — si totius fabulae constructionem respicis — digna sunt, quae a nuntio vera narratione proferantur; mihi quidem in hac scaena latere videtur narratio maxima ex parte in formam scaenae comicae dissoluta.

Itaque frustra nimis diligenter tragoediae vestigia investigabimus. Diverbii versus magna ex parte ex Euripidis fabulis sumptos esse scholia nos docent;[2]) de v. 715 iam dixi. Scilicet ex his versibus de exemplo nihil concludere possumus.

Narratio prooemio caret; tamen hac ex re hoc loco vix aliquid concludere licet de exemplo, quod poetae secutus sit. Lysistratae aditus bene explicatur: intra muros manere non potest (vv. 708—09; 713).[3]) Epilogum deesse non mirabimur; in fine

τέθνηκ' Ὀρέστης· ἐν βραχεῖ ξυνθεὶς λέγω.

Fortasse Aristophanes Sophoclem respexit. Electrae fabula docta est posteriore aetate poetae.

[1]) Vocula ‚γὰρ' hoc loco (v. 719) non coniungit narrationem cum versibus antecedentibus, sed in brevi descriptione priorem explicat periodum.

[2]) V. 713 revera sapit naturam Euripidis; cfr. Thesmoph. vv. 5 sqq.

[3]) cf. Med. vv. 56 sqq., quibus versibus similiter explicatur exitus nutricis; Leo M. i. Dr. p. 17.

verae narrationis locum non habet et in fine totius scaenae ego quidem, quomodo poeta talem epilogum fingere potuerit, nescio.

Artem narrandi in ipsa descriptione non inveniri mirum non est, quae enumerat tantum per ordinem, quae facta sunt (τὴν μὲν . . . τὴν δὲ . . . τὴν δὲ . . . τὴν δὲ . . .). In ipso dialogo anaphoram v. 735 adhibet mulier, ut valde se de lino commotam esse simulet: τάλαιν' ἐγώ, τάλαινα τῆς Ἀμοργίδος, . . .

Utrum poeta parodiam sentiri voluerit necne, difficile est dictu. Certe consulto instituit scaenam secundum narrationes tragicas; certe etiam spectatores initium scaenae audientes nuntiorum narrationes recordati sunt. Tamen, an porro eodem modo intellexerint artem poetae audiendo quo nos legendo, dubito neque puto Aristophanem hoc speravisse.

Magis etiam soluta et cottidianae vitae formis accommodata narratio nuntii legitur

Ecclesiaz. vv. 372—476.

Hac in scaena ipsius actionis finis narratur; actio finitur eo, quod regimen rei publicae traditur mulieribus. Iam vv. 160—240 Praxagora cum sociis contionem in scaena habuit, qua eas instrueret, habuit orationes satis longas et excultas. Itaque haec omnia vera contione repetere noluit Aristophanes, etsi contionem in scaenam se producere posse iam in Acharnensibus demonstravit. Vidimus easdem eum commovisse causas, quas iam in Equitum narratione tractanda invenimus (cfr. p. 7). Praeterea sic scaena multo facetior facta est — item ut in Equitibus —, quam si poeta veram induxisset contionem.

Quae facta sint in illa contione, *Chremes* civis, qui inde redit, Blepyro amico narrat. Veram habemus scaenam comicam, in qua dialogus mixtus est narrationi, quae (quod iam in Pluto et Avibus (nunt.) fieri vidimus) interlocutionibus alterius personae interrumpitur.

Tragica verba non inveniuntur nisi vv. 392—93, e tragoedia sumpti (schol., Bakh. p. 181). Si porro investigamus vestigia tragoediae, primum cognoscimus narrationem magna cum arte institutam esse. Chremes, quae in contione facta sunt, ita narrat, ut iis, quae singuli protulerunt, accurate descriptis et ita expectatione aucta (vv. 395—454) denique culmen totius (vv.

455—457) rei nuntiet; reliqua, quibus novum statum Chremes et Blepyrus pingunt, breviter defluunt. Uterque addit epilogum (vv. 471—477), quo quae sentiat more nuntiorum tragicorum indicat.

Narratio Chremetis iam incipit inde a v. 376; sed interrumpitur a Blepyro vv. 389—393, qui triobolum se amisisse queritur, de quo iam cogitavit v. 380. Statim cum audiverit e Chremete contionem esse solutam, quaerit de eo, quod gravissimum ei est, de triobolo; et postquam audivit illum infecta re abisse, tam intento animo de hac re secum meditatur, ut omnino non videatur audire, quae alter narrat. V. 388 demum verba Chremetis ‚οὐκ ἔλαβον‘ eum movent, ut quaerat: *οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἂν ἐγὼ λάβοιμι; κτλ.*, cetera aures eius praeteriunt neque de iis quaerit. Tum demum re finita, quae facta sint, scire vult; tum demum recordatur ea, quae antea alter dixerat de multitudine hominum.

Itaque diverbium — i. e. ea, quae ipsam narrationem antecedunt — efficitur vv. 372—375. Chremes Blepyrum alloquitur miratus statum hominis toga muliebri vestiti (v. 374); de summa narrationis nihil dicit. Structura tragoediae prorsus soluta est, praesertim in prima scaena parte et plane redacta in scaenam comicam. Nihilominus quaerendum est, quaenam similiter instituta sint atque in tragoediae narrationibus fieri solet.

Abeunt in contionem mulieres v. 284, viri vv. 285 sqq., vicinus Blepyri v. 357. Ab eo tempore, quo ipse venit in contionem, Chremes incipit v. 381. Itaque, quomodo illi iter confecerint, non audimus; cfr. quae de hac re dixi p. 25. Bene tamen initium narrationis excipit finem actionis.

Contionem solutam esse Chremes statim Blepyro nuntiavit v. 377; itaque expectamus mulieres re confecta redituras esse; quod fit vv. 478 sqq. Scilicet Chremes, qui recta via e contione redit, prius prodit quam illae, quae tarde et caute procedunt timentes, ne quis se observet (cfr. v. 481/82:

φύλαττε σαυτὴν ἀσφαλῶς, πολλοὶ γὰρ οἱ πανοῦργοι,
μή πού τις ἐκ τοὔπισθεν ὢν τὸ σχῆμα καταφυλάξῃ.)

Itaque etiam in fine scaena apte coniuncta est cum iis, quae sequuntur.

Accuratam dispositionem nonnisi vi restituere poteris. De ‚diverbio‘ et ‚narratione‘ iam dixi: narratio in duas dividitur partes, quarum prima arte cohaeret cum ‚diverbio‘ altera (v. 395 sqq.) continuo sermone defluit usque ad v. 457.

Maxime haec scaena a nuntiorum narrationibus differt eo, quod usque ad vv. 455 sqq., qui culmen totius narrationis efficiunt, omnino non scimus, ad quem finem res pervenerit. Habemus ethopoeiam, quae tamen comoediae debetur. Chremes, homo stultus et lentus, mirum plebiscitum omnino non miratur; itaque non statim rem inauditam profert, sed, ut facere solemus in facto aliquo narrando, a rebus primis incipit, i. e. ab adventu suo. Neque aditus neque exitus Chremetis ullo modo explicatur; prodit, ut Blepyro — et nobis — narret, quae facta sint; abiens nihil dicit nisi ‚ἀλλ᾿ εἶμι‘. Haec quoque vitam depingunt cottidianam; Chremes a contione reversus forte occurrit Blepyro, quocum collocutus porro procedit; talis res nulla eget probatione et suo iure poeta eam in hac scaena tragica neglexit. Qua ex re etiam facile explicatur, quare quis sit Chremes v. 477 demum audiamus; civem Atheniensem et Blepyri amicum eum esse iam e primis scaenae verbis cognovimus, ipsum nomen maioris momenti non est.

Locus, quo res acta est, verbis ‚ἐξ ἐκκλησίας‘ v. 376 satis significatur.[1]) Epilogum vel epilogos extare iam vidimus; prooemium aut tale quid vix expectamus. Etiamsi nos dicimus, priusquam aliquid narramus: „Hör einmal“ aut „Ich muß Dir mal was erzählen“, tamen haec sunt vividius loquentis. Talia non expectamus a Chremete homine quietissimo. Is omnino nihil narravisset, nisi Blepyrus, unde veniret, ex eo quaesivisset (v. 376); idem fit vv. 394 sqq.; semper Blepyrus rem promovet. Praeterea locum non habuisset prooemium in tali scaena.

Longe alius homo atque Chremes est Blepyrus, ‚un sceptique et un résigné‘, multo vividior quam ille, cuius verba saepe interrumpit. Unus alteri opponitur vv. 471—475. De ethopoeia iam satis dixi; itaque frustra erit de affectibus quaerere. Per se intellegimus in verbis Chremetis — qui ipsam quoque profert

---

[1]) cfr. Wilam. Wesp. p. 480.

narrationem — vera et certa affectus signa perpauca inveniri posse; tritis uti solet formulis: μὰ (τὸν) Δία, νὴ Δία (vv. 377, 382, 390, 438, 439, 463, 469); Blepyrus graviora usurpat (vv. 422, 445, 451), etiamsi illa non vitat (vv. 373, 433). Satis haec sunt, quibus rem tibi illustres; ceterum respiciendum est Chremetem plura dicere quam Blepyrum in haec scaena. Itaque explicatur quare, si numeres, plura extent signa affectus in verbis illius, cf. vv. 378, 383 (πλεῖστοι), 386, 399, 411. Blepyrus v. 391 commotionem animi aperit verbis ‚οἴμοι δείλαιος‘, quae tritissima sunt in comoedia.[1]) Accedunt quae supra commemoravi verba iurantia.

Quae cum ita sint, pro longitudine narrationis et multitudine verborum — hac in re dialogum a narratione separare non possumus — pauca habemus, quae animum Chremetis narrantis commotum esse demonstrent — id quod moribus eius convenit. Aliter res se habet in Blepyro.

Summam totius narrationis Chremes profert vv. 455—57; narrat non solum quod factum sit, sed etiam qua de causa civitas mulieribus tradita sit. Incipit narrare ab eo tempore, quo in contionem advenit (v. 381), desinit contione soluta (vv. 377; 455 sqq.); itaque, quae narrat, omnia ipse vidit. Optime rem illustrant vv. 378—379, 383 sqq., 408 sq., 427 sqq.; singula verba illustrantia addit poeta vv. 383 (πλεῖστος), 398 (cfr. Plut. v. 665), 403[2]), 409, 427, 428, 432. Vv. 458 sqq. omitto, qui omnino non spectant ad artem narrandi. Brevis similitudo extat v. 428, orationes rectas invenis vv. 400—402, 404, 412—421; oratione obliqua Chremes utitur narrans quae dixerit Praxagora (vv. 430—454). Quantam habuerint vim illae rectae orationes, melius etiam intellegimus si recordamur haec non omnia eadem voce pronuntiata esse; veri simillimum est Chremetem uniuscuiusque vocem imitatum esse.[3]) In vv. 430 sqq. poeta obliquam orationem ea de causa instituit, quod hoc modo multo accuratius rem proferre poterat; difficile erat haec omnia ipsis Praxagorae

---

[1]) cfr. v. Herw. ad Pac. v. 233.

[2]) ἀνα-βοᾶν semper apud Aristophanem vim simplicis vocis auget, quod in ceteris huiusmodi compositis fieri non solet; cfr. p. 9.

[3]) Henn. p. 36.

verbis allatis narrare neque intellego, quomodo tum poeta dialogum, qui invenitur vv. 435—440, formare potuerit.

Ipsius narrationis singulae partes solito modo inter se coniunctae sunt; cfr. vv. 399, 411, 446, (*ἔπειτα, κἄπειτα*); 408, 427 (*μετὰ τοῦτο[ν]*); 397, 431 (*εἶτα, κᾆτα*). Vv. 402, 448 figurae leguntur, quarum utraque ad vim verborum augendam addita est. Trimembre in ipso dialogo comico extat vv. 437 sqq.:

πρῶτον μὲν σ' ἔφη
εἶναι πανοῦργον . . . . . .
κἄπειτα κλέπτην . . . . .
καὶ συκοφάντην

et vv. 452 sqq.:

οὐ συκοφαντεῖν, οὐ διώκειν, οὐδὲ τὸν
δῆμον καταλύειν . . .

Bene talibus locis demonstratur usitatam fuisse hanc construendi rationem apud poetas comicos; non solum contextus totius loci, sed etiam ipsa verba a tragoedia abhorrent.

Fortasse quaerat quispiam, quam ob rem poeta huic quietae narrationi orationes inseruerit rectas, quibus vividior fit? Quod fecisse videtur, ut eo modo melius hominum, quos cavillatur, mores et verba redderet, praesertim cum suspicemur haec voce mutata prolata esse.

Habemus igitur nuntii narrationem plane in comoediae scaenam redactam; quod magis etiam fit eo, quod dialogo initio et in fine scaenae posito ipsam narrationis formam, quae in media scaena paulo apertius extat, nonnisi attento animo inspicientes animadvertimus, sed, ut omnia pro dialogo habeamus, facile adducimur. Accedit, quod narratio iterum interrumpitur parte dialogica (vv. 436—440).

Vix dubitare licet, quin hoc loco poeta in animo habuerit ea, quae narrat nuntius in *Oresta* Euripidis, quae fabula docta est a. 408 et quae erat *τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων.*[1]) Ibi enim eodem fere modo describitur contio, in qua Argivi decernunt, ut moriantur Orestes et Electra. Itaque fieri poterat, ut

[1]) Hypoth. Aristoph. gramm. Quae hic profero, *σχέδια* tantum sunt. Eduardus Fraenkel ad eundem finem se pervenisse me docuit, etiamsi aliis et certioribus argumentis usus est.

Aristophanes, cum doceret Ecclesiazusas a. 391, hanc fabulam respiceret. Satis erit breve illius narrationis schema exscribere, ut res appareat:

Appono narrationem Eccles.:	
I) „Diverbium“ vv. 272—375. Chremes et Blepyrus unum alterum salutant.	I) Diverbium: vv. 844—865. Advenit nuntius narrans Orestem et Electram ab Argivis capitis damnatos esse (vv. 857—58).
II) „Narratio“ vv. 376—477.	II) Narratio: vv. 866—956.
1) vv. 376—393: Chremes, sero se in contionem venisse narrat et nuntiat, qualem ea praebuerit aspectum.	1) 866—878: Argivus, quomodo in contionem venerit, exponit.
2) vv. 394—407: Postquam prytani, qua de re dicendum esset, indicaverunt, primus Neoclides prodit, qui tamen infecta re abire cogitur.	2) 879—897: Pylade et Oresta descriptis, quae Talthybius dixit, referuntur; loquitur *καλοὺς κακοὺς λόγους ἑλίσσων.* 3) 898—902: Diomedes favet reis: hi assentiuntur, illi abnuunt. 4) 903—916: Argivus quidam prodit, *ὃς εἶπ' Ὀρέστην καὶ σὲ ἀποκτεῖναι πέτροις βάλλοντας·*
2) vv. 408—426: Euaeon *ὁ δεξιώτατος* consilia sua profert.	5) 917—930: Alter surgit Argivus, qui contraria profert eorum, quae ille postulaverat. Monet populares, ut coronent Orestam, quippe qui ultor sit patris a muliere foede necati.
3) vv. 427—454: Ipsa Praxagora, ut civitatem mulieribus tradant, cives monet et illas laudibus effert.	6) 931—942: Orestes ipse loquitur eadem fere proferens.
4) vv. 455—457: Regimen rei publicae accipiunt mulieres.	7) 943—952: Capitis damnantur Orestes et Electra.

Non difficile erit singula perquirenti plura et graviora argumenta afferre; tamen iam comparatione inspecta nemo non videt certe persimiles inter se esse narrationes.

Eodem modo instituta est scaena, quam legimus in

Ran. vv. 738—813.

Narratur a *ianuario,* quod alteram et gravissimam fabulae partem movet, initium rixae, quae orta est inter Aeschylum et Euripidem[1]); itaque „narratio“ continet expositionem i. e. prologum partis sequentis.[2]) Haec res, quae in scaena agi vix poterat, et magni est momenti in actione promovenda, digna erat, quae a nuntio proferretur narratione; quae hoc loco iterum soluta est in scaenam comicam — scil. prologum dialogicum.

Separo ab hac scaena vv. 786—794, quos postea demum fabula iam finita poetam addidisse mihi persuasum est.

Dialogus, qui extat, plane est comicus; ne verba quidem tragica inveniuntur. Vox ‚*ταυρηδὸν*‘ (v. 804), quae omnino raro legitur, cottidiani sermonis fuisse videtur (cfr. Plat. Phaedr. 117 B).

Hic quoque caveamus, ne vi schema narrationis nuntii tragici imponamus scaenae comicae. Facile, quae hac in scaena narrantur, in formam continuam redigi possunt; quae tamen hoc loco magis etiam quam in scaena Ecclesiazusarum confunditur eo, quod initio haud pauci extant versus, quibus servuli de suis rebus disputant — item ut in prologis non raro fit (cfr. Equ. Vesp.).

Tamen hac quoque in scaena vestigia quaedam tragicae consuetudinis cognosci possunt. Ipsa narratio incipit a v. 761; quae antecedunt, si vis, pro ‚diverbio‘ habere potes, quocum hoc loco coniuncti sunt vv. 738—753, qui potius prologum redolent. Servorum rebus peractis — quae optime coniunctae sunt cum sequentibus[3]) — summa totius rei profertur vv. 757—758. Etiam haec in dialogum soluta est[4]); accuratius explicatur narratione,

---

[1]) Similiter bubulcus in Eur. Iph. Taur. vv. 236 sqq. narrat Orestem et Pyladem captos esse; qua re fabulae actio efficitur.

[2]) Cfr. p. 3, adn. 1. Inducuntur personae et res, de quibus certatur.

[3]) Quomodo inter se coniungas vv. 755 et 756 (qua de re non una est omnium sententia), ad hanc quaestionem nihil refert.

[4]) Verba ‚*Αἰσχύλου κεὐριπίδου*‘ Xanthiae tribuenda non esse apparet; hoc ipsum quaerit ex altero, qui inter se certent homines.

quae promovetur quaestione Xanthiae: ἐκ τοῦ; v. 761. Itaque artissime inter se coniunguntur ‚prologus', ‚diverbium' et ‚narratio' vivido dialogi progressu.

Ipsius scaenae initium recipit finem actionis, quae antea abrupta est (cfr. vv. 668 sqq.—741/742); tamen initio narrationis ad ea, quae antecedunt, non respicitur — nova enim incipit res sine ullo transitu. Una extat coniunctio vv. 810—11, quibus narratur Dionysum certaminis iudicem factum esse. Vv. 795 sqq., quae sequuntur, praeparantur; ita lacuna, quantum fieri poterat, expletur. Neque prooemium neque epilogum invenimus; prooemium progressum dialogi retardavisset; vv. 759—60 respondent versibus, qui in tragoediis non raro transitum faciunt a diverbio ad narrationem.[1])

Etiam in progressu narrationis poeta sermoni vitae cottidianae ius suum tribuit; cuius narrationis acumen statim nos ad ipsam actionem traducit. Cum in narrationibus nuntiorum omnia ‚eo ordine, quo in conspectum venerunt', narrari soleant[2]), ianuarius[3]), postquam consilium Plutonis rettulit, statim, quomodo certamen instituatur, nuntiat. Deinde v. 801 sq., qua de causa haec omnia fiant et quomodo Aeschylus se gerat, explicat; denique Dionysum iudicem constitutum esse narrat. Itaque ea, quae futura sunt, prius respicit quam quae facta sunt. Item ut nuntius

[1]) cfr. Soph. Oed. Tyr. v. 1236; Eur. Hipp. vv. 1169 sqq.; Orest. vv. 859 sqq. Semper aliquis gravissimis rebus auditis verba affectus plena profert; tum quaerit, quae res sit.

ὦ δυστάλαινα, πρὸς τίνος ποτ' αἰτίας; (Soph. l. l.)

Quae nostro loco in dialogum soluta sunt; verba illa affectus plena ianuarius effert v. 759/60, quaestionem Xanthias v. 761; sed hic quoque v. 759 affectum exprimit, quem confirmat ianuarius. Itaque sic notae personarum constituendae sunt.

[2]) Quod Henn. p. 19 recte statuit; minus recte argumentatur. Non ‚quod nuntius res conspectas solas narrat', hoc fit, sed quod nuntius per ordinem res enarrat item, ut factae sunt, ut veram facti imaginem praebeat.

[3]) In libris haec persona ‚θεράπων' appellatur; certe Aeaci nomen non a poeta, sed postea demum appositum est, ut Cephisophontis in Acharn., Mnesilochi in Thesmoph. Iam scholii (ad v. 465) auctor eum novit: εἷς τῶν ἐν Ἅιδου λέγει· τινὲς δὲ τὸν Αἰακὸν λέγουσιν ἀποκρίνεσθαι, ὅπερ ἀπίθανον. Cfr. Kock. annot.; Hiller, Herm. 8, p. 453 sq. Certe ianuarius est inferorum.

in Avibus primo loco ponit τὰ δεινὰ, quae maxime eum commoverunt; tum demum, quam ob rem fiant, exponit. Euripidis nomine audito Xanthias quaerit de Aeschylo; denique ianuarium interrogat de iudice certaminis. Itaque narratio procedit secundum naturae ordinem, non secundum legem et formulam tragoediae.

Expectatio nostra augetur in prima parte narrationis (usque ad v. 784), imprimis quaestionibus a Xanthia interiectis (vv. 768, 770, 778, 781, 782, 784); quem ipsum patientia deficit v. 765, ubi longam alterius explicationem abscidit verbo ‚μανθάνω' = „Versteh' schon." [1]) Locus, quo res acta est, satis indicatur vocabulo ‚ἔνδον' v. 757. Quomodo acta sit, hic non nuntiat ianuarius neque talia desiderare debemus. Gravissima res continetur verbis ‚Αἰσχύλου κεὐριπίδου'; quibus Xanthias ita attonatur, ut unum tantum ‚ᾶ' proferre possit. Tum autem statim ad originem facti, quod stupet, prodit quaerens: ἐκ τοῦ; = „qua ex re?" [2])

Qua de causa prodeant ianuarius et Xanthias, non comperimus; si verum spectamus inducuntur, qui nobis narrent, quae facta sint. Tamen facile nobis fingere possumus servos exire, ut de iis, quae intus acta sint, unus cum altero colloquantur; accuratam probationem vix desideramus. Deinde Xanthias ianuarium rem interrogat. [3]) Exitus satis explicatur v. 812 sq.

De ethopoeia servorum iam dixi p. 27; quae initio scaenae servi inter se disserunt, totius generis, non singulorum hominum ethos respiciunt. Affectibus ipsa narratio non caret, cfr. vv. 776, 781, 796 (verba ‚τὰ δεινὰ' tale quid exprimere mihi videntur); omitto talia qualia ‚νὴ Δία' etc. Etiam verba ianuarii, quae extant vv. 738 sqq., plena sunt affectus; tamen ad mores eius hoc non spectat, quia alius quoque servus gavisus esset, si tam inopinato hominem sui simillimum invenisset. Neque quae dicit

---

[1]) Recte sic locum interpretatur van Leeuwen.

[2]) Item Dind. et Kock.

[3]) Certam interpretationem vv. 755/56 dare non audeo; veri simillimum videtur iam antea clamores post scaenam auditos esse, quos tum neglexit Xanthias. Nunc demum salutatione perfecta alterum interrogat, quid rei sit.

Itaque interpungendum puto post ‚κύσον'; „se invicem amplectuntur" (v. Leeuw.); verba ‚καί μοι φράσον' trahenda sunt ad versum sequentem. Rem in dubio relinquo; similem interpretationem iam scholii auctor dedit.

vv. 465 sqq. et 605 sqq. mores depingunt ianuarii proprios. Neque poeta signa affectus narrationi inseruit, ut Euripidem imitaretur; perpauca tantum inveniuntur, quae iure huc referri possint. Hoc unum concedo: Vv. 759—60 Aristophanes, ut ita dicam, illustravisse mihi videtur nomen Euripidis, quod modo audivimus; verbis, gestu, sono vocis ianuarius grandiloquum et affectus plenum sermonem nuntiorum imitatur, qui in illius fabulis narrare solent; ita ut statim spectantes haec verba coniungant cum nomine Euripidis. Itaque repetitiones verborum, quae extant, Kock et alii Euripidis esse non inepte statuerunt; quas certo consilio hic positas esse vel ex eo cognosci potest, quod tam arte una alteram sequitur. Orationes rectas non invenimus; quae res vv. 771 sqq. facile explicatur, quia verbis, quae profert ianuarius, multo melius, quae Euripides dixit, illustrantur quam ipsis verbis redditis fieri potuit. Idem dicendum est de vv. 779 - 81; nam ipse ianuarius **οὐράνιον** clamare non potest.

Accurata descriptio, quae datur vv. 772 sq., 775, 797 sqq., unoquoque loco e re explicari potest; vv. 772 sq. et 775 Euripidis mores depinguntur, vv. 797 sqq. ut vis comica augeatur, tam accurate res describuntur. Verba illustrantia habes vv. 777 (*ἐπαρθείς*), 781, 804; comparatio acerbissima extat v. 783 (cfr. schol.).

Notandum est trimembre, quod legimus vv. 757—758:

> *τίς οὗτος οὔνδον ἐστὶ θόρυβος καὶ βοὴ*
> *χὠ λοιδορησμός;*

nam ipsum trimembre indicat verba „*χὠ λοιδορησμός*" Xanthiae tribuenda esse; separari non possunt a v. 757, quod Bergk et alii fecerunt.

Notum est fabulam Ranarum in duas dividi partes, quae nullo fere modo inter se coniunctae sunt. Poeta rem plane novam instituit, quam leviter tantum conexuit cum priore fabulae parte. Itaque nos quoque denuo rem nobis fingere opus est, quasi examen de Dionyso et Xanthia non sit habitum et ianuarius intus aspexerit, quibus Xanthias non adfuit. Nam omnia ab illo narrantur, proinde ac si ea ipse vidisset; cfr. vv. 779 sqq., 801 sq., 804, 805 sqq.

Sententiarum conexus non tam simplex est quam in nuntiorum narrationibus esse solet; id quod efficitur Xanthiae quaestionibus, quae saepissime quietum narrationis progressum turbant.

Videmus Aristophanem formas tragoediae aut neglexisse aut tanta arte mutavisse, ut magis etiam, quam antea fieri vidimus, exempli vestigia confunderet. Itaque vix opus est dicere poetam parodiam nuntii tragici instituere noluisse; quae dixi de vv. 759—60, non demonstrant spectatores cum ianuarium audirent, nuntium tragicum Euripidis more ex omni parte perfectum cognovisse. Ne hac quidem in scaena certum exemplum inveniri potest, in qua Aristophanes non solum prologum et narrationem coniunxit, sed etiam hanc dissolvit.

Sequantur

Acharn. vv. 175—185.

Amphitheus,[1]) quem ad pacem conficiendam Dicaeopolis miserat ad Lacedaemonios vv. 130sqq., anhelus accurrit, narrat se ab Acharnensibus comprehensum esse, qui se sequantur. Ita res nova inducitur, qua actio sequens movetur. Narratio brevissima eandem praebet speciem, quam perfectam invenimus in nuntiorum narrationibus.

V. 175 non nuntius indicatur, sed tota scaena ab hoc versu incipit; hoc modo, qui prodeunt, indicari solent in tragoedia non aliter atque in comoedia. Cfr. Soph. Antig. vv. 155 sqq., Oed. Col. vv. 549 sq., Eur. Orest. vv. 1594 sqq.; Arist. Equit. v. 691; Pac. v. 1208. Statim v. 177 Acharnenses eum persequi comperimus, id quod ‚culmen' est narratiunculae. Deinde a Dicaeopolide interrogatus [2]) explicat, quomodo ad eum finem res evenerit. Quid, quaeso, deest narrationi nuntii? Scilicet is, qui narrat, eo differt a vero nuntio, quod ipsius actionis est particeps; quod tamen item se habet in Agoracrito, Chremete, aliis.

Ipsa narratio rem optime pingit: Videmus Amphitheum festinanter procedere — subito senes Acharnenses (quorum figuram

---

[1]) Cfr. p. 63, a. 3. De Amphitheo egit etiam Mazon p. 16.

[2]) Amphitheus, quae respondet ad Dicaeopolidis salutationem, statim ipse explicat; tum demum ille quaerere potest, quid rei sit.

Verbis ‚τί δ' ἔστιν'; in tragoedia indicatio summae, quae fit in diverbio, moveri solet; cfr. Fischl p. 12, annot. 2.

atque habitum acuratissime describit ‚nuntius'), rem, quam fert, odorati in eum irruunt clamantes lapidesque colligentes. Ille perterritus fugit, hi maximo clamore sequuntur — qua de re iam v. 177 certiores facti sumus.

Locus satis indicatur nomine Acharnensium v. 180; nam ex eo cognoscimus Acharnis Amphitheum comprehensum esse. Certum narrantis ethos in tali narratiuncula non desiderabimus.

Sicut nuntius singulas res per ordinem simpliciter enumerat Amphitheus; extat oratio recta (v. 182—83), inveniuntur imagines vividae (vv. 180—81, 185). Affectus signa desunt; ‚ἀνέκραγον' v. 182 nullius est momenti, ‚ὦ μιαρώτατε' verba sunt non narrantis, sed eorum, de quibus narratur. Omnia haec raptim et item, ut cetera modo dialogi proferuntur ita, ut poeta suo iure ea non tam diligenter excoluerit. Aditus Amphithei ipsa re satis probatus est; ita ut Dicaeopolis nos quoque expectamus eum re confecta a Lacedaemoniis rediturum esse. De exitu, item de prooemio et epilogo non quaeremus, si respicimus, quo loco posita sit narratiuncula. Leviter, quae narrantur, cum iis, quae praecedunt, coniuncta sunt verbis ‚σπονδὰς φέρων' v. 178, i. e. mandatis tuis perfectis; satis tamen lacuna actionis[1]) expletur, praesertim cum culmen narrationis statim ad ipsam actionem nos traducat.

Certa igitur inveniuntur signa, quae ad tragoediae exemplum nos ducant.

Prodeamus ad

Nub. vv. 1321—1390.

Strepsiades, postquam Pasiam et Amyniam extrusit, exiit ut cum filio cenaret (vv. 1212); sed statim cantico chori perfecto rursus procurrit a filio male mulcatus. Quomodo ad hunc finem res pervenerit, choro enarrat.

Quae narratio epirrhema agonis efficit, qui extat vv. 1345—1451; in antepirrhemate Phidippides se defendit contra

---

[1]) Scil. in scaena actio prodit neque lacuna extat; tamen ea actio, in qua Amphitheus suam tenet partem, i. e. constitutio foederis eius absentia interrumpitur et narratiuncula expletur. Itaque duo actiones una iuxta alteram procedunt.

patris opprobria. Ipsam rem comperimus ex episodio, quod antecedit agonem vv. 1321—1344; in quo non solum summa narrationis (v. 132—125) — de qua agon instituitur —, sed etiam ipsum certamen indicatur (vv. 1334—44). Vere inter se certant adversarii in altera demum parte, i. e. in antepirrhemate vv. 1397sqq.; epirrhema, in quo unus ex adversariis, quae sentiat, proferre solet, hic expletur narratione facti. Hoc quoque loco culmen transit in actionem in ipsa scaena perfectam; hic quoque, quae antea breviter indicatur, summa postea narratione accuratius explicatur — cognoscimus duas partes narrationis tragicae etiamsi secundum huius scaenae structuram mutatas.

Ipsa narratio optime continuatur antecedentibus (cf. vv. 1354 et 1212); actio igitur non interrumpitur. Neque de ethopoeia neque de affectibus dicere opus est. De illa iam satis dixi et affectus e re explicandos esse nemo non intellegit. Vv. 1353—54 (*καὶ μὴν . . . φράσω*), qui prooemii speciem praebent, non ad tragoediam, sed ad agonem spectant.[1]) In fine epirrhematis Phidippides, qui iam antea (vv. 1359—60) interlocutus est, vv. 1377sq., quae fecit, iure se fecisse autumat; pater eum refellere studet in reliquis epirrhematis versibus et in pnigo. Inde intellegimus agonis naturam neque hoc loco poetam secundum tragoediae exemplum epilogum instituisse puto, quamquam, quae Strepsiades dicit in fine narrationis, a tali non abhorrent. Nam implicite, quae sentiat de filii factis, indicat.

Ipsa narratio gradatim rixae progressum inde ab initio usque ad finem proponit; quod fieri chorus vult vv. 1350—51. Ipse poeta hanc dat dispositionem:

I. Vv. 1355—63 (*πρῶτον*)
II. Vv. 1364—67 (*ἔπειτα*)
III. Vv. 1368—76 (*κἀνταῦθα*).

---

[1]) cfr. Vesp. vv. 548—49; Av. v. 465; Ran. vv. 907 sq.; in ipsa Nubium fabula v. 961. Cfr. *Eupol. Adul.* 159 K.:

Ἀλλὰ δίαιταν ἣν ἔχουσ᾽ οἱ κόλακες πρὸς ὑμᾶς
λέξομεν (e parabasi?)

Teleclid. Amphict. 1. K:

λέξω τοίνυν βίον ἐξ ἀρχῆς ὃν ἐγὼ θνητοῖσι πάρειχον.

Neque loci neque personarum indicatione opus esse apparet. Quamquam Strepsiades ea tantum narrat, quae ad agonem spectant, i. e. quae utriusque fuerint verba de poesi, haec tamen accuratissime afferuntur. Oratio recta extat vv. 1366-67; 1369—70; obliqua vv. 1355—56; 1357—58; 1362, 1364—65; 1371—72; verba Phidippidis vv. 1359-60, quae intus dixit, teste Strepsiade reddunt. Audimus, quomodo Strepsiadis ira magis magisque augeatur (cfr. vv. 1363, 1368—69, 1373—74), et ipsa rixa breviter, sed vivide depingitur vv. 1373—76. Simpliciter, quae enumerat Strepsiades, inter se coniuncta sunt. Ne verba quidem tragica inveniri nemo mirabitur; quin etiam rem tragicam verbo minime tragico Strepsiades significat rusticus v. 1371: *ἐκίνει* de Canace et Macareo.

Itaque videmus in parte comoediae, quam inter vetustissimas esse omnes consentiunt, latere partem tragoediae propriam; qui quidem tali loco certi poetae vestigia investigare vult, certat *περὶ ὄνου σκιᾶς*.

Quae *Trygaeus* in **Pacis vv. 819 sqq.** narrat de itinere, iocandi causa proferuntur, non ut certiores fiamus de illo itinere, quod iam vv. 154 sqq. — etiamsi in contrarium — cum eo confecimus. Paulo diutius consistamus in

Lysistr. vv. 980—1013.

Praeco prodit a Lacedaemoniis missus ad foedus conficiendum; cuius prima verba statim in animum nobis revocant, quae dicere solent nuntii et praecones in tragoediis prodeuntes:

πᾷ τᾶν Ἀσανᾶν ἐστιν ἁ γερωχία
ἢ τοὶ πρυτάνιες; λῶ τι μυσίξαι νέον.

cf. Soph. Oed. Tyr. vv. 924 sqq., El. v. 660 sq., Eur. Hipp. vv. 1153 sq.; Hec. 484 sqq., Jon. vv. 1106 sq. Quis sit, ipse indicat v. 983; quae indicatio probatur quaestione probuli, quae non minus iustam quaerendi habet causam. V. 984, quam ad rem perficiendam venerit, explicat; tum ab altero de statu suo mirifico interrogatus primum, quae ille dicit, infitias it, tum fatetur, quomodo res se habeat in Lacedaemone (vv. 995-96). Quo facto, quae fuerit rerum progressio, enarrat et statum patriae v. 1002—1006 breviter describit. Denique domum remittitur, ut ipse legatos curet mittendos.

Quae narrat, nobis quidem non inexpectata nuntiantur. Perfecta sunt, quae Lysistrata mandaverat Lampitoi abeunti vv. 242 sqq. Veram habes nuntii narrationem brevissimam, quae ne ‚diverbio' quidem caret, in quo summae indicatio alterius quaestione movetur, sicut fieri solet in tragoedia. Quod tamen ‚diverbium' propriam praebet speciem, quae ex eo facile explicatur, quod praeco non venit ad hanc narrationem proferendam. Tota scaena dialogi habet formam, cuius in progressu ille haec narrat; initio et in fine agitur de ea re, ad quam conficiendam praeco venit. Itaque poeta narrationem confudit cum scaena dialogica ita, ut quasi obiter illae res nuntiarentur.

Praeco igitur hoc loco nuntii munere fungitur; cuius narratio dividi potest in ipsam narrationem vv. 998—1001 et descriptionem vv. 1002—1006. Quae descriptio eandem praebet formam, quam narratio servi, quae extat in Vesparum fabula, praeconis in Avibus, ipsius Lysistratae. Praeco primum unum hoc dicit: ‚*μογίομες*' v. 1002; tum vv. 1002—1003 hanc rem paulo uberius significat; denique vv. 1004—1006 unde haec provenerint explicat.

Prorsus nuntii mores spirant verba vv. 995/96:

ὀρσᾶ Λακεδαίμων πᾶα καὶ τοὶ σύμμαχοι
ἅπαντες ἐστύκαντι· Πελλάνας δὲ δεῖ.

Est summa totius *συμφορᾶς*. Ipsa narratio non solum finem actionis bene excipit (cfr. vv. 998 et 242 sqq.), sed etiam in fine, quae sequuntur, praeparat. Nam vv. 1004 sqq. praeco nuntiat mulieres postulare, ut pactionem faciant Lacedaemonii cum ceteris Graecis; quam ad rem conficiendam legatos mitti probulus iubet, qui prodeunt vv. 1072 sqq. Praeco in narrando similitudines adhibet v. 1000 et v. 1003, quibus augeatur perspicuitas narrationis — quamquam ipse optimam rei illustrationem secum fert. Hic quoque in totius scaenae natura positum est, quod nec prooemium neque epilogus invenitur; neque quisquam orationes rectas aut obliquas desiderabit. Praeco certum ethos non praebet, quod iam antea satis exposui; hac in re cum servis congruit — uterque enim secundas tantum partes agere solet. Affectus deesse narrationi item atque in Acharnensium scaena non mirum est; narratio pars est dialogi, qui exceptis vv. 985—990

quieto sono procedit. Quod ibi praeconem status sui pudet, humanum est neque certum hominis ethos indicat.

Quae cum ita sint, poeta in hac scaena non solum narrationem et descriptionem inter se coniunxit, sed etiam utramque plane cum dialogo confudit; quod eruisse satis habere debemus.

Narrationem alterius nuntii, qui prodit in Euripidis *Phoenissis,* imitatus est ad verbum fere Aristophanes in

Phoenissarum frgm. 558 K.

ἐς Οἰδίπου δὲ παῖδε, διπτύχω κόρω
Ἄρης κατέσκηψ', <ἔς> τε μονομάχου πάλης
ἀγῶνα νῦν ἑστᾶσιν.

cfr. Eur. Phoen. vv. 1359 sqq.:

ἐπεὶ δὲ χαλκέοις σῶμ' ἐκοσμήσανθ' ὅπλοις
οἱ τοῦ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι,
ἔστησαν ἐλθόντ' ἐς μέσον μεταίχμιον,
δισσὼ στρατηγὼ καὶ διπλῶ στρατηλάτα,
ὡς εἰς ἀγῶνα μονομάχου τ' ἀλκὴν δορός.

V. 1362 delet Barnes; tamen Aristophanis versus demonstrant eum iam tum in fabula extitisse.

Iam in eo est, ut summam huius partis opusculi faciamus. In omnibus quas tractavimus narrationibus — liceat mihi hac significatione uti — eandem cognovimus formam mutatam. Narratio nuntii tragici componi solet e *diverbio* [1]) narrationi praemisso, quo summa rei postea accuratius expositae continetur, et ex ipsa *narratione.* Utramque partem in unoquoque loco distinximus; tamen vidimus narrationes, quae extant in Vespis (servi), Avibus (praeconis), Lysistrata (Lysistratae et praeconis; huius quidem ex parte tantum), differre a forma usitata. In his vel *tres* discerni possunt partes, quarum unaquaeque paulo uberius rem explicat quam quae procedit; quae forma infra accuratius erit tractanda.

De externa specie hactenus; res autem, quae illis continentur narrationibus, non eundem omnes tenent locum in structura

---

[1]) Voce diverbii ego omnia, quae ipsi narrationi antecedunt, significavi.

fabularum. „Necessaria actionis pars, quae, quamquam ipsa a priore actionis parte in scaena acta pendet et ab ea ipsa pendet sequens actionis pars ante oculos spectantium perducta, tamen contra illud Aristotelis ‚*δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας*', (Fischl) narratur nonnisi in Equitibus, Avibus (a nuntio), Lysistrata (a praecone), Ecclesiazusis, Pluto. In Acharnensibus, Vespis, Nubibus, Avibus (a praecone), Ranis nova res profertur, qua actio fabulae, i. e. omnia quae in scaena aguntur ante et post parabasin, promovetur. Hae quoque narrationes alia magis aliâ coniunctae sunt cum fabulae parte antecedente; tamen ipsa actionis pars, quae narratur, nova est neque pendet ab illis quae praecedunt. Velut in Avium fabula praeconis relatio eo coniungitur cum priore actionis parte, quod audivimus Pisetaerum eum mitti iubere; tamen — nam missus est, ut novum indicaret hominibus imperium — ea res, quod tam libenter homines illud imperium acceperunt, nova est neque pendet a Pisetaeri iussu. Vidimus illam coniunctionem in Ranarum fabula esse laxissimam.

Singulari modo Lysistratae narratio vel potius descriptio constructioni fabulae inserta est. Nova quidem res profertur, quae pendet a parte actionis ante parabasin finita; tamen actionem non promovet, quae ante oculos nostros progreditur. Initium tantum efficit scaenae, cuius in altera parte narratio transit in actionem. Fortasse poeta hoc modo scaenam instituit, ut initio parodiam efficeret nuntiorum tragicorum; quam optime coniunxit cum sequente scaenae parte.

Videmus Aristophanem forma, quae nata est in tragoedia, in comoedia ratione multo magis varia usum esse quam in ipsa tragoedia factum est. Etiam in parodiis, quas apertas instituit poeta ita, ut discrepantiam sentiri vellet, quae tali loco extat inter formam et conexum, modo magis modo minus anxie tragoediae exemplum secutus est. Quam acuratissime imitatus est hoc exemplum in Equitibus et in Pluto; tamen etiam hi inter se differunt loci. In Pluto enim — quae ultima est servata fabula — huius quoque generis parodiam paulo magis comoediae naturae accommodavit quam in Equitibus; itaque hic progressum extare negare non possumus, qui non minus invenitur in ceteris parodiis consulto institutis. In Avium nuntio magna etiam ex

parte poeta tragoediam exprimit, optime iam in Lysistratae descriptione tragoediam et comoediam miscuit; denique in Ranis et Ecclesiazusis (etiamsi non eandem secutus rationem) formam tragicam plane redegit in scaenam comicam. Maxima igitur cum arte provecta demum aetate illam mutationem formae tragicae in comicam perfecit; qui scaenam Lysistratae, in qua praeco prodit, comparat cum Ranarum (ian. Xanth.) et Ecclesiazusarum (Chrem. Blepyr.), concedere debet in his minus etiam quam in illa formam narrationis tragicae sentiri. In universum autem potius dicamus mutatam hanc formam in Aristophanis fabulis inveniri quam Aristophanem mutavisse; nam utrum ipse huius rei auctor fuerit an alius, nescimus. Ceterum iam in Acharnensibus vidimus tragoediae exemplum artificiose comoediae structurae adaptatum esse; qua ex re — nam talem rem uno die discere non potes — concludere licet, aut ipsum Aristophanem aut alium iam antea haec instituisse.

Narratio, quae extat in Equitibus, demonstrat tum Sophoclis consuetudines maxime usitatas fuisse; quae nos doceret de illius aetatis tragoedia narratio nuntii perfecta, quam in Pluti fabula legimus, iam exposui p. 16: Sophoclis vestigia iam in Pherecratis fabulis nos invenisse putavimus (cfr. p. 8, an. 4); Pherecrates autem — cuius de aetate certa non habemus testimonia — iam a. 437 victoriam reportavisse videtur (Mein. Hist. crit. p. 66) Si ipsius Aristophanis fabulas respicimus, iam in Avibus Euripides in Sophoclis locum successit, qui inde usque ad finem primum obtinuit locum.

Optime narratio, quae extat in Equitibus, demonstrat parodiam non idem esse atque ludificationem; nam etiamsi poeta ragoediae sectundum Sophoclis consuetudinem institutaeparodiam illi fabulae inseruit, tamen longe aberat, ut illum aliquo modo illuderet.

Tenendum est tales scaenas, quales praebent Amphiteus, Lysistrata, in quibus actio prodit, secundum *formam* quidem tragoedia redolere; tamen quantum attinet ad *structuram*, e natura comoediae ortae sunt et bene fieri potuit, ut iam prius locum in comoedia tenuerint, quam tragoediae formae ullius ponderis esse inciperent.

Caput II.

De narrationibus, quae leguntur in prologis.

Prologum[1]) non esse partem fabulae dramaticae primariam inter omnes constat. Inter *Aeschyli* fabulas Supplices et Persae hac parte carent; in Agamemnonis et Choephoron unius tantum extat oratio; dialogum invenimus in Septem, dialogum et monologum (s. monodiam) in Prometheo et Eumenidibus. Dialogi formam — exceptis Trachiniis — *Sophocles* usurpat; novam et certam *Euripides* constituit, cuius in fabulis prologus constat monologo et dialogo — qui deesse potest —, quem sequitur chori canticum. In monologo omnia, quae ante fabulae initium facta sunt, simplici modo referuntur.

Si comoediam respicimus, notum est *Cratini Βουκόλους* initium cepisse a dithyrambo; quod tamen unum extat huius generis exemplum. In *Aristophanis* fabulis tria prologorum genera discernimus. Prologum ex omni parte dialogicum invenimus in Lysistratae, Thesmophoriazusarum, Ranarum fabulis; a monologo incipiunt Acharnenses, Nubes, Ecclesiazusae, Plutus; diverbium unius oratione interruptum habemus in Equitibus, Vespis, Pace, Avibus.

Si uniuscuiusque generis quaerimus aetatem, apparet novissimam formam eam esse, quam invenimus in fabulis Aristophanis inde a Lysistrata, i. e. prologum dialogicum. Hunc etiam in Ecclesiazusis et Pluto (de quibus postea pauca etiam erunt disse-

---

[1]) De prologo comoediae egit Mazon p. 170 sq.; an recte constituerit certum schema, dubito. Praeterea cfr. Leo, Plaut. Forsch. p. 170 sqq.; eiusd. Der Monolog im Drama. De comoediae Atticae prologis disseruit Frantz (Dissert. Argent. 1891), qui p. 1—15 tractat antiquam quae vocatur comoediam.

renda) habemus, in quibus monologus pars tantum est diverbii, quo constat prologus. Hanc formam scil. e tragoedia sumptam posteriore demum aetate poeta usurpavit; haud exiguum desiderat ingenium et maximam praebet artem ita, ut bene intellegamus Aristophanem non prius eam adhibuisse. Quod tamen fecit, ut Euripidi se ipse opponeret[1]), qui hanc instituendi rationem penitus repudiavit. Huc referendum est etiam fragmentum, quod Athenaeus servavit e *Gerytade* (149, 150 K.), quae fabula docta est post a. 405. Duo in scaena versantur personae, quarum una alteri narrat diverbio Sannyrionem Meletum Cinesiam poetas ad inferos missos esse. Itaque huius quoque fabulae expositio diverbio prolata est, cuius gravissimas res fragmentum continet.

Nec monologum, qualem legimus in Acharnensibus et Nubibus, primarium esse quisquam dicet; imprimis, quem profert Strepsiades, artem prae se fert, quae abhorret a prisca comoedia.[2]) Restat igitur tertium illud genus, cuius primum invenimus exemplum in *Equitibus:* Demosthenes diverbio subito interrupto spectatoribus vv. 36—70 argumentum fabulae, quae agetur, exponit, quo facto procedit diverbium.

Haec est forma, quam potissimum putemus fuisse inter primas, quas comoedia acciperet, ubi unam fabulam efficere coepit. Anno 487 Chionides primum fabulam docuit comicam; Cratinus *κατέστησε πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, στήσας τὴν ἀταξίαν*; Crates *τῶν Ἀθήνησιν πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους.* Dicamus igitur medio fere saeculo quinto comoediae formas e rudibus et incultis in artificiosas redactas esse. Iam actio ita aucta erat, ut ex ipsis rebus, quae agebantur, spectatores non iam cognoscere possent, quid sit negotii; itaque opus erat argumentum fabulae vel potius eorum, quae agerentur (cfr. p. 3) exponere. Certe iam priscae erat comoediae brevi praeludio, priusquam ipsa actio initium cepit, animos spectantium movere et hilaritatem efficere ita ut iam inde ab initio fabulae faverent; id quod nos etiam bene novimus et quod appellamus „Stimmung machen“. In-

---

[1]) Leo, Plaut. Forsch. p. 174.

[2]) ibid. p. 173/74.

primis comoediae erat fines, qui separant spectantes ab agentibus, confundere. Simplicissimam expositionis formam eam esse nemo negabit, qua fabulae persona quaedam quasi *αἶνον* proferens narrat argumentum; quod potissimum fieri initio fabulae consentaneum est.[1]) Nec minus consentaneum est hoc factum esse secundum tragoediae exemplum, quae iam tum certas praebuit formas. Tamen in tragoedia, qui in scaena versabantur, spectatores non respiciebant; itaque opus erat hos ut ita dicam in eius personam, cui res narrabatur, animo se mutare, quam rem comoedia omnino non spectavit, in qua ii, qui rem agebant, ipsis spectatoribus argumentum exponebant. Quae res ipsa vim habet comicam; tamen haec vis augetur etiam, si actione iam instituta simulatio perrumpitur, cuius rei optimum praebent exemplum Equites.

Quae cum ita sint, veri simillimum esse dico comoediam hanc exponendi rationem iam antiquissimis temporibus usurpavisse[2]), ubi primum omnino praebuit actionem, quae expositionem postulabat; quam rationem Aristophanes servavit in Equitibus, Vespis, Pace, Avibus.

Quarum quaeque fabula in prologo eandem praebet speciem: Diverbium interrumpitur continua unius oratione, qua simulatione deleta nec aliquo modo scaenam respiciens spectatoribus explicat, quare, quae fieri vident, agantur. Ab isdem fere verbis narratio incipit in Equitibus, Vespis, Pace:

Equ. v. 36:

βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;

Vesp. v. 54:

φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον . . .[3])

Pac. v. 50:

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισιν . . . . . φράσω

---

[1]) Item in fabulis, quas fecit Hans Sachs, prodit praeco (der Ehrenhold), qui rem enarrat.

[2]) Mazon p. 35.

[3]) cfr. schol. ad v. 64.

cfr. Eupol. Dem. fr. 106 K.:

καὶ τὸν μὲν ἐν κύκλῳ γε παύσομαι λόγον
φράσω δέ σοι τὸ πρᾶγμα διὰ τῶν χωρίων [1])

Plat. Hyperb. fr. 166—167 K.:

ἀπερρ'· ἐγὼ δ' ὑμῖν τὸ πρᾶγμα δὴ φράσω·
Ὑπερβόλῳ γάρ, ἄνδρες, ἐπέλαχον κτλ.

quibus versibus breve antecedit diverbium. Quae recte huc rettulit Frantz p. 6, item p. 7 quae affert Priscianus (GL III, p. 285):

Πλάτων ἢ Κάνθαρος Συμμαχίᾳ οὕτως ἤρξατο·
ἐγὼ γὰρ ὑμῖν νῦν φράσω. . . .

Denique Leo (Plaut. Forsch. p. 173) affert frgm. adesp. 613 K.:

ἤδη δὲ λέξω τὸν λόγον τοῦ δράματος.

Nonne quasi formulam haec verba efficiunt? [2]) Certe iam pridem simili modo initium narrationis proferebatur. Statim nobis in mentem venit illud Archilochi:

ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρυκίδη.

Item, ut poeta iambicus inter populares in foro, poeta comicus inter Athenienses, qui in theatrum convenerunt, *αἶνον* suum profert. Id quod melius etiam intellegis, si tempora tibi revocas, quibus scaena omnino nondum extabat. Itaque expositio, quam paulatim comoedia sibi finxit in formam redacta est, quae penitus erat vitae et sermonis cottidiani. Quae res ipsa testatur hanc formam inter antiquissimas esse prologi comoediae; habemus non spectantes et in scaena agentes, sed Athenienses, e quibus unus historiam narrat, quae efficit fundamentum rerum, quae statim agentur. [3])

In *Equitibus* [4]) et *Vespis* sine ullo transitu argumenti narratio

---

[1]) Verba explicat Wilam. Arist. u. Ath. I, p. 179, ann. 84.

[2]) Ipsa narratio cum his versibus coniungi solet vocabulo, ‚*γάρ*'; explicatur, quare fiant, quae fieri videmus. Cfr. Equ. v. 40; Vesp. 67; Pac. v. 56; Av. 30. Quae vocula etiam in prologis Euripideis invenitur; Henn. p. 45, an. 1.

[3]) Scil. Atheniensis non *αἶνον* profert, sed *τὸν λόγον τοῦ δράματος*.

[4]) Extrinsecus narratio cum versibus antecedentibus coniungitur verbis v. 35 ‚*ἀλλ' ἑτέρᾳ πῃ σκεπτέον*', quae recte Demostheni tribuit Beer (Zahl

incipit; neque aliter res se habet in fine ita, ut progressus scaenae narratione interrumpatur. In *Pacis* fabula artius inter se cohaerent diverbium et narrationis exordium[1]): Postquam scarabaeum curaverunt servi, unus ex iis expectationem spectatorum iam satis intentam esse putat; itaque argumentum illis exponit. Poeta igitur, qui in Equitum et Vesparum fabulis consulto narrationem solvit a diverbio hac in re certe secutus qui antecesserant, in Pace has partes coniungere conatus est; quod magis etiam fecit in *Avium* fabula. Iam diu duo Athenienses errant per saxa; subito Euelpides commovetur verbis Pisetaeri, qui dicit cornicem non eodem modo crocitare quo antea. Cum vero foede frustretur Pisetaeri responso iratus incipit (v. 27):

οὐ δεινὸν οὖν δῆτ' ἐστὶν ἡμᾶς δεομένους
ἐς κόρακας ἐλθεῖν κτλ;

et ad spectatores se vertit v. 30:

ἡμεῖς γάρ, ὦνδρες οἱ παρόντες ἐν λόγῳ[2]).

Itaque narratio probatur statu animi Euelpidis, cuius verba vv. 27—29 explicationem desiderant, quae simul continet fabulae expositionem iam praeparatam vv. 13—19. His versibus Euelpides narrat, quam male avium venditor se fefellerit; quae tamen ita proferuntur, ut progressum diverbii non disturbent. Itaque non solum id, quod maxime stupemus — quare uterque avem secum afferat — explicatur, sed etiam expectatio nostra atten-

---

der aristoph. Schausp. p. 149 sq.). Quibus magis etiam efficitur, ut simulatio deleatur; nam talibus auditis expectamus Demosthenem novum remedium prolaturum esse. Sed subito ad spectatores se vertens hanc expectationem frustratur et simulationem perrumpit.

[1]) In fine narrationis res — etiam in Avibus — eodem modo se habet, quo in Equitibus et Vespis. Tamen Equites eo differunt a ceteris, quod in iis narratione finita porro procedunt facetiae servorum, in Vesp. Pac. Avib. statim ipsa incipit actio. Mea quidem sententia hac quoque in re progressum invenimus; nam multo magis hoc modo in Equitibus narrationem excidere e totius conexu sentimus quam in ceteris fabulis.

[2]) Falso scholium: ‚*ἐν ὑποθέσει*‘, quae interpretatio fluxit e Vesp. v. 51, in quo revera *λόγος* significat ‚*ὑπόθεσιν*‘. Hoc loco idem est atque ‚oratio‘ = qui adestis et auditis quae dico; cfr. Acharn. v. 513 ([Eurip.] Rhes. v. 149 cfr. v. Leeuw.): *ἀτάρ, φίλοι γὰρ οἱ παρόντες ἐν λόγῳ κτλ.*

ditur; nam, qua de causa venditorem illum adierint, nondum audimus. Hac igitur in fabula Aristophanes concinnitatem prologi antea magis minusve solutam quam maxime restituit, quamquam formam traditam servavit. Videmus artem poetae crevisse; qua via procederet hac in re perficienda, tragoedia ei demonstravit, in qua discrepantia illa, quae in comoedia extat inter simulationem et veritatem, omnino deerat. Id quoque huc spectat, quod in Avibus primum — quantum nos videre possumus — personae, quae expositionem proferunt, in ipsa fabulae actione graviores tenent partes item, ut in tragoedia fieri solet.[1]) Nec minus haec eum docuit artem probandi, qualem invenimus in Avium fabula; similiter — ut exemplum afferam — res se habet in prologo Medeae;[2]) certi poetae exemplum Aristophanem secutum esse vix dicere possumus, quia de nova quae dicitur tragoedia nihil scimus nisi de Euripide.

Iam breviter quae in unaquaque fabula narrentur et quomodo proferantur inspiciamus. In

Equit. vv. 40—70[3])

Demosthenes narrat, quomodo Paphlago-Cleo in Populi domum venerit, quam bene dominum, quam male servos tractet.[4]) Quanam de causa tam accurate poeta exposuit, quae paucis verbis demonstrari poterant?

Res, quas audimus, imaginem efficiunt vividam et ex omni parte illustrem. Iram Demosthenis in Cleonem depingunt vv. 45, 56, cuius ars indicatur v. 49[5]) verbis: *κοσκυλμάτιοις ἄκροισι.* Cleo et Populus qui sint quaeque faciant, accurate describitur vv.

---

[1]) Frantz p. 6; Leo Pl. F. 174.

[2]) Leo M. i. D. p. 21.

[3]) Quae antea Nicias dicit v. 37—39:

ἓν δ' αὐτοὺς παραιτησώμεθα
ἐπίδηλον ἡμῖν τοῖς προσώποισιν ποιεῖν,
ἢν τοῖς ἔπεσι χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασιν.

similiter hodie etiam audimus in theatris, quae ‚Kasperletheater' appellantur; saepe audivi Kasperle quaerentem: „Was soll ich nun mit dem anfangen — totschlagen?"

[4]) Quae narratio continet, breviter contracta iam insunt in vv. 4—5.

[5]) Diels, Mus. Rhen. nov. 30, p. 471.

40 sqq., 44 sq., 47 sq., 65 sqq. Breviter, sed satis clare proferuntur, quae Demosthenes passus est vv. 54—57; v. 56 eius status animi ex ipsis verbis cognoscitur:

πανουργότατά πως παραδραμὼν . . . παρέθηκε.[1])

Nec minus vv. 58—60, 69—70 ipsi rem videre putamus; quin etiam ipsa hominum verba afferuntur vv. 50—52, 67—68, certe aliquo modo mutata voce et gestibus significata.

Iam intellegimus, quare omnia haec proferantur — ut personarum descriptione et hae illudantur et spectatorum risus moveatur; quod imprimis efficitur oratione recta, deinde epithetis. Ceterum omnia per ordinem Demosthenes refert nec ullam disponendi rationem in hac narratione invenis; hac arte omnino caret.

Vesp. vv. 54—135.[2])

Item ut Nicias in Equitibus spectatores ut, utrum placeant res actae necne, indicent, monet, hac in fabula *servus,* qui argumentum exponit, vv. 55—66 illos ne nondum instructi falso de eo iudicent, praemonet. Idem[3]) vv. 74—86 spectantes coniecturas facere iubet de morbo domini, quibus versibus narratio continua interrumpitur. Recte Mazon hanc partem a poeta insertam dicit, ut narrationis longitudinem levaret; simul nonnullos cives cavillatur. Hac in fabula accurata expositione opus erat; et *ἡ νόσος τοῦ δεσπότου* tam nota erat Athenis, tot spectatorum eodem morbo capti erant, ut poeta hac re adduceretur ad expositionem etiam augendam, quo facilius in Philocleone describendo omnes, qui Athenis extabant Philocleones, perstringeret. Itaque longior facta est narratio ita, ut bene intellegamus, quam ob rem Aristophanes continuitatem eius solverit.

Apparet, quare imprimis iudicum consuetudines tam diligenter et accurate descriptae sint vv. 88 sqq., quibus depictis imago efficitur morbi Philocleonis. Comparationes inveniuntur vv. 96, 105, 107, 129; epitheta et verba illustrantia extant vv. 71, 91

---

[1]) Cfr. Nub. v. 6; Hor. sat. I, 6, 57.

[2]) Quae Frantz (p. 8) de Philocleonis descriptione profert, inepta puto.

[3]) Wilam. Wesp. p. 514 sq. et Maz. p. 66 sq. iure haec omnia uni tribuunt servo; iam scholii auctor (ad v. 75) dicit: *τινὲς ἀμοιβαῖα. χαριέστερον δὲ λέγεσθαι αὐτὰ συνεχῶς πρὸς ἑνός.*

(*οὐδὲ πασπάλην*)[1]), 92 (*ἄχνην*)[2]), 93 (*πέτεται*) 113, 131—32. Iocose dictum est *αἰγιαλὸν τρέφει* (v. 110) scil. lapillorum; quae vox valde rem auget neque fuisse videtur sermonis cottidiani neque omnino Attici. V. 111 sq. teste scholio habemus Steneboeae Euripidis verba leviter mutata (Bakh. p. 52). Ne reliqua quidem minus clare proponuntur; quin etiam ipse Bdelycleo, quem videmus in tecto iacentem, epitheto ornatur *μέγας* (v. 68) et mors eius voce significantur, quam ad ipsam hanc rem efficiendam fictam esse apparet (v. 135).[3])

Iam dixi in Vespis narrationem servi magis ipsius expositionis causa institutam esse quam in Equitibus; id quod imprimis finis demonstrat. Verba vv. 133—35:

ἔστιν δ᾽ὄνομα τῷ μὲν γέροντι Φιλοκλέων
ναὶ μὰ Δία, τῷ δ᾽ὑιεῖ γε τῳδὶ Βδελυκλέων,
ἔχων κτλ.

Idem fere sunt atque schedulae, e quibus nos in theatro cognoscimus, quae personae in fabula agenda versabuntur in scaena. Sed etiam alia re haec narratio differt ab Equitum; *dispositionem* praebet certam nec ullo loco neglectam. Semper aliqua res breviter indicatur, quae versibus sequentibus explicatur. Vv. 56—57[4]) servus spectantes monet, ne nimis grandia neve vilia expectent; vv. 58—63 haec exponit (*γὰρ* v. 58). V. 64—66 ad rem redit:

ἀλλ᾽ ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνωμὴν ἔχον,

quod *λογίδιον* explicatur vv. 67 (*γὰρ*) sqq. Vv. 67—70 audimus, quae dominus servis mandaverit, scil. ut Philocleonem inclusum

---

[1]) ‚*πασπάλη*' primum significat farinam quam maxime minutam, deinde minimam particulam (cfr. schol.); de etymologia cfr. Meyer, Hdb. der griech. Etym. II, p. 514. Item nos dicimus „ein Körnchen Wahrheit", Romani „ne frit quidem" (sic recta Ellis restituit Plaut. Most. v. 595, cfr. Varro de r. r. 1, 48, 3.).

[2]) schol.: *τὸ λεπτομερὲς τοῦ στάχυος.*

[3]) In fine appellativi latet ‚*σεμνός*', quod secundum ‚*μαλθ-ακός*' etc. auctum est ita, ut fieret ‚*σεμνακός*'. Quomodo prima pars a voce *ὀφρῦς* (schol.) derivari possit, nescio; itaque ‚*φρυαγμοσεμνακούς*' legendum est = mores, qui superbiam cum ardore coniungunt (cfr. Suidam s. v. *φρύαγμα*). Falsa mihi videtur explicatio, quae vocabulum componit ex *φρύαγμα σεμνός ἄκος*; quam qui acceperunt, scribunt: *φρυαγμοσεμνάκους.*

[4]) qui ad expositionem ipsam non spectant et ipsius sunt comoediae.

custodirent; quare hoc fiat nuntiat vv. 71—110 (γὰρ v. 71), v. 111 redit ad initium explicationis (τοιαῦτ' ἀλύει). Vv. 111—113 servus narrat se senem domi conclusum custodire, deinde v. 114 (γὰρ)—132, quomodo res ad hunc finem evenerit, indicat.

Hanc dispositionem non primariae speciem praebere nemo negabit. Satis hoc loco habeamus rem constituisse; certe, si in universum spectes, haec narratio maiorem artem prae se fert quam Equitum.

Pac. vv. 50—77.

Item, ut servus in Vesparum fabula, hic quoque pauca praemittit ipsi narrationi; affert enim ipsas, quas spectatores faciunt, coniecturas de argumento, scilicet ut Athenienses delectet dialecto Ionica sermoni Attico inserta. Ipsa narratio aperte instituta est secundum eam, quae extat in Vesparum prologo; vv. 54—55 servus[1]) dicit dominum plane novo modo insanire, quem describit vv. 56 (γὰρ)—57. Eadem habemus quae in Vespis,[2]) etiamsi brevius astricta. Cfr. — quos iam contulit v. Leeuw. —

Vesp. vv. 71—73:

νόσον γὰρ ὁ πατὴρ ἀλλόκοτον αὐτοῦ νοσεῖ
ἣν οὐδ' ἂν εἷς γνοίη ποτ' οὐδ' ἂν ξυμβάλοι
εἰ μὴ πύθοιθ' ἡμῶν·

Pac. vv. 54—55:

ὁ δεσπότης μου μαίνεται καινὸν τρόπον,
οὐχ ὅνπερ ὑμεῖς, ἀλλ' ἕτερον καινὸν πάνυ.

Sane in singulis rebus haec narratio differt a Vesparum. Primum generaliter servus explicat, qualis sit insania, quae explicatio illustratur et confirmatur verbis Trygaei vv. 62—63[3]), quae graviorem habent sonum. Lepide poeta rem ita instituit, ut verba Trygaei a servo prolata statim sequantur ipsius lo-

---

[1]) In Vesparum et Pacis fabula unus ex servis prologo confecto non iam prodit in scaenam neque ullius est momenti in actione perficienda (Frantz p. 11; excipiendus tamen Nicias in Equ.). Habemus *πρόσωπα προτατικά*, quae in comoedia nova quae dicitur haud raro inveniuntur, velut Sosias in Terenti Andria, Grumio in Plauti Mostellaria.

[2]) Eodem modo poeta anapaestos qui vocantur parabaseos e Vesparum conseruit; quin etiam vv. 755—758 ad verbum translati sunt e Vesp. vv. 1032—1035.

[3]) *ἔα ἔα* (v. 60) verba sunt servi, qui Trygaei vocem audit.

quentis; utroque loco, si sensum verborum respicis, eadem fere audimus, quin etiam verba inter se congruunt:

v. 58: Ὦ Ζεῦ, τί ποτε βουλεύει ποιεῖν;

v. 62: Ὦ Ζεῦ, τί δρασείεις ποθ' ἡμῶν τὸν λεών;

Ipse servus hac re narrationem suam illustrari dicit v. 65: τὸ γὰρ παράδειγμα τῶν μανιῶν ἀκούετε[1]).

Tum singula Trygaei verba et facta enumerantur; enumeratio in tres partes dividitur aperte significatas:

I. πρῶτον (v. 66). II. ἔπειτα (v. 69). III. ἐχθές (v. 76).

V. 76 teste scholio secundum verba Bellerophontis Euripidei factus est, cuius fabulae parodiam initium Pacis praebet.[2])

Ipsa Trygaei verba afferuntur vv. 58—59, 68, 76—77; Aperte res significantur vv. 57: ὡδὶ κεχηνώς, quod cum imitatione pronuntiatum esse tibi fingas (v. Leeuw.), 73, 75 (καταψῶν αὐτὸν ὥσπερ πωλίον). Habemus igitur imaginem morbi non solum vividam et illustrem, sed etiam — id quod maximi est momenti — revera comicam.

Non inutile erit hanc narrationem conferre cum ea, quam invenimus in Equitum prologo, quae totidem fere continet versus. In Equitibus continua oratione res enarratur, in Pace exemplo inserto optime illustratur; illic nullam dispositionem extare vidimus, hic eandem invenis, quam in Vesparum fabula, etiamsi tam diligenter non adhibitam; scilicet quia haec narratio multo brevior est et magis comprehensa quam Vesparum. Videmus progressum, qui extat inter Equitum et Pacis narrationes, quamquam haec, si eam confers cum Vesparum, minoris est aestimanda.

Avv. vv. 27—48.

Dicat quispiam hunc prologum quasi transitum efficere ad eos, qui ex omni parte constant diverbio; nam, quae ipsi narrationi praemissa sunt vv. 13—19, dialogi progressum non turbant neque narratio tam aperte soluta est e ceteris, quam antea fieri vidimus. Itaque poeta eam quam maxime diverbii naturae adaptavit.

---

[1]) ad v. 64 cfr. Nub. v. 26 eodem loco positum; Kock affert Eur. Helen. v. 622: τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο. Cfr., quae adnotat ad Nub. v. 26.

[2]) Bakh. p. 39; an vv. 58 et 62 eiusdem sint generis, dubito.

Veram expositionem narratio *Euelpidis* continet. Statim dicam ultimos versus 46—49:

ὁ δὲ στόλος νῷν ἐστι παρὰ τὸν Τηρέα
τὸν ἔποπα κτλ.

nobis in animum revocare versus Vesparum, quibus Philocleonis nomina indicantur; ut illi speciem praebent παρεπιγραφῆς scaenicae.

Vv. 27—29 postquam audivimus, ipsi explicationem desideramus, quae statim continuatur v. 30—38 (γὰρ v. 30). Vv. 27—29 explicantur vv. 30 – 31, qui accuratius exponuntur vv. 32 (γὰρ) — 38; v. 38 probatur vv. 39 (γὰρ) —41. Vv. 42—45 redeunt ad fabulae exordium; vv. 46—48 Euelpides, quae iam v. 15—16 dixerat, expressis verbis iterat; id quod — ut in Vespis — demonstrat poetam in hac narratione perfectam expositionem ponere voluisse. Exornatur narratio metaphora v. 35 (ἀ ν ε π τ ό μ ε σ θ' ἐκ τῆς πατρίδος), quae spectat ad fabulae argumentum, et comparatione vv. 39—41; iterum Aristophanes Athenienses φιλοδίκους illudit cum cicadis eos comparans, quae non tam diu in arboribus canunt quam illi in causis.

Solitam igitur narratio praebet disponendi rationem, quam inde a Vespis constituimus. Primariam eam non esse iam dixi; nemo in vita cottidiana rem aliquam hoc modo narrat, sed ita ut Demosthenes in Equitibus. Prius tamen quam, unde fluxerit haec consuetudo, quaeremus, Acharnenses et Nubes inspiciamus.

Acharn. 1—39.[1])

In prologo totam fere comoediae argumentum positum esse recte dicit Frantz (p. 5); quomodo probetur monologus *Dicaeopolidis*, Leo explicat. Sane expositionem fabulae non habemus; tamen ad rem spectant, quae dicit Dicaeopolis vv. 26 sq. 37 sq., e quibus audimus eum quam maxime pacem desiderare. Hac ex re explicatur morositas, quae in toto monologo apparet (cfr. v. 1); et ea morositate ipse monologus comprobatur (Leo).

Plura quam hoc loco proferuntur, vix opus est scire, ut fabulae actionem intellegamus. Prodit agricola bello rure in urbem pulsus, qui omnia haec molestissime fert et ardenter pa-

---

[1]) Leo, M. i. Dr. p. 36.

cem cupit. Bellum antea fuisse et tum etiam esse omnes spectatores ipsi sciebant.

Simplici modo Dicaeopolis, quae profert, narrat item, ut Demosthenes in Equitibus; digressionem quandam efficiunt vv. 1—18. V. 1 generaliter statum animi indicat, quem v. 2—3 explicat; deinde, quibus gavisus sit, quae aegre tulerit, enarrat ita, ut in utraque re (vv. 4, 9) uno versu indicet, quae sequentibus (vv. 5—8; 10—12) expositurus est; denique unum utriusque generis addit factum (vv. 13—14; 15—16). Haec omnia non spectant ad expositionem, sed suum ac proprium habent propositum comicum. In vv. 5—8 et 10—12 finis explicationis initium respicit (vv. 7—8; 12). Tandem vv. 17 sqq. ipsam rem tangit, qui versus denuo excipiunt ea, quae dixit v. 1 ita, ut v. 2—16 quasi in parenthesi extent. Neque temere poeta v. 18 dicentem facit Dicaeopolidem: *οὕτως ἐδήχθην*; nam in animo etiam habemus illud ‚*δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν*‘. Hoc modo non solum coniungitur v. 17 cum v. 1, sed etiam comicam vim habet mutatio sententiarum (quod etiam v. Leeuwen intellexit):

v. 1. *δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν*
v. 18. *ἐδήχθην — ὑπὸ κονίας τὰς ὀφρῦς.*

Certe Dicaeopolis gestibus conspicuam fecit hanc dipositionem, qui v. 4 (*φέρ' ἴδω*) dixit digitum naso apponens, v. 9 et 13 quasi computans digitis (*ἕτερος*). Itaque certe spectatores intellexerunt totius institutionem, quam non inepte Mazon (p. 15) nominat ‚arithmétique des plaisirs et peines‘. Tamen non puto haec ad Euripidis consuetudines spectare, quod Mazon dicit; Aristophanes delectare tantum spectantes voluit. Augetur etiam vis huius partis singulis facetiis, quae Dicaeopolis profert.

Quantum attinet ad naturam sermonis, quo utitur Dicaeopolis, difficultates extant, quas solvere non meum est; minime inter se viri docti consentiunt, qui versus tragicum praebeant colorem. Scholiasta e tragoedia sumpta esse dicit verba v. 8 ‚*ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι*‘ (e Telepho), v. 33 (*ἐκ τραγῳδίας*); neque ineptum videtur verba v. 5 ‚*τὸ κέαρ ηὐφράνθην ἰδών*‘ ad tragoediam revocare. Alia, de quibus dubito, neglego; nec scio, sitne v. 33 e tragoedia sumptus necne. Una extat vox tragici sermonis propria ‚*στυγῶν*‘; scholiasta mihi ex suo ingenio verba ‚*ἐκ τραγῳδίας*‘ posuisse

videtur. Quae omnia verbis Dicaeopolidis colorem quendam addunt[1]), etiamsi non satis sunt, quibus demonstrari possit poetam ad certum alludere exemplum.

Ceterum ab unius oratione fabula incipit, quod iam in Aeschyli fabulis fieri vidimus. Eo Acharnensium fabula differt ab illis, quod in Dicaeopolidis versibus expositio posita est. Sane, quae ante fabulae initium gesta sint, ille narrat vv. 496 sqq.; sed hanc narrationem poeta non instituit, ut daret expositionem, sed ut, quomodo ipse de belli exordio iudicaret, intellegeremus; qua in re perficienda Dicaeopolidem alterum fecit Telephum. Itaque ad spectatores se vertit vv. 496—508[2]). Iam dixi Athenienses ad fabulae actionem bene intellegendam omnia, quibus opus erat e, monologo Dicaeopolidis audivisse; quae res in argumenti natura posita est neque spectat ad Euripidem, cuius in prologis eodem modo expositio in monologo, a quo fabulae incipere solent, profertur[3]).

Dicaeopolis simpliciter res narrat item, ut loquimur sermone cottidiano usi; itaque hac in re eandem speciem praebet, quam Demosthenis oratio in Equitibus. Aliter res se habet in altera fabula, quae a monologo capit initium, in

Nub. v. 1—77.[4])

Strepsiades, qui dormire non potest, quae se vexent, exponit. Monologum e rebus ipsis natum esse demonstrat Leo; qua in re discedit a prologis Euripideis et appropinquat monologo Acharnensium.[5])

---

[1]) Cfr. Weber, p. 3, 10.

[2]) Eodem fere modo et eadem de causa instituta est narratio, quam de belli initio profert Mercurius in Pac. vv. 603 sqq.: Hac in fabula expositio aperte datur in prologo. Itaque, quae supra dixi, confirmantur eo, quod in expositione nihil fere de bello dicitur.

[3]) Frantz (p. 7) Acharnensium (et Nubium) prologorum institutionem ad Euripidem revocat; tamen, quae disserit, vix probari possunt.

[4]) Leo M. i. Dr. p. 37.

[5]) Babyloniorum fabulam coepisse a frgm. 67 K.:

Ὦ Ζεῦ, τὸ χρῆμα τῆς νεολαίας ὡς καλόν

(cfr. Nub. v. 1) non puto (Mein. II, 2, p. 972).

Dividitur in has partes diverbiis interpositis:[1])

I) vv. 1—24

vv. 25—40 div. inter Streps. et Phidipp.

II) vv. 41—55

vv. 56—59 Streps. et famulus.

III) v. 60—79.

I et II incipiunt ab interiectionibus (*ἰοὺ ἰού — φεῦ*).

Vv. 1—11 Strepsiades queritur noctis longinquitatem, servorum licentiam, filii somnum; deinde vv. 12—14 sumptu et debitis Phidippidis se cruciari narrat. Haec accuratius exponit usque ad v. 40; bene res illustratur filii somno. Tum senex vv. 41—42 pronubae maledicit, quae eum commovit ut Phidippidis matrem in matrimonium duceret; quam maledictionem probat vv. 43(*γὰρ*)—55; sequitur famuli castigatio vv. 56—59. Iam v. 60—62 narrat rixam ortam esse inter se et uxorem de nomine filii, quae vv. 63(*γὰρ*)—67 accuratius describitur. Vv. 68 sqq. ad actionem redit. Cognoscimus disponendi rationem nobis iam notam, quae in hac fabula primum invenitur, item ut ea res, quod interrumpitur et levatur narrationis continuitas.

Oratio recta extat vv. 69—70; 71—72; filii facta accurate describuntur vv. 14 sqq., quae descriptio augetur vv. 25—40, item depingitur vita rustica vv. 43—45, mulier vv. 46 sqq. V. 30 teste scholio ad Euripidem spectat, de quo aeque iudicandum est ac de versibus et verbis ‚tragicis‘, quae leguntur in Acharnensium prologo.[2]) Oppositionem poeta praedicat antithesi v. 47; nec v. 6:

ἀπόλοιο δῆτ᾽ ὦ πόλεμε πολλῶν οὕνεκα

inconsulto sic compositus est.[3])

Hic quoque monologus totam praebet expositionem; prima tamen Nubium est fabula, in qua ipsius expositionis causa narratio prologi instituitur.

Iam si omnes respicimus Aristophanis fabulas, hoc constituere possumus: In Acharnensibus et Equitibus, quarum utraque

---

[1]) Mazon p. 50.

[2]) Frustra in v. 41 certum exemplum desiderant Kock, Frantz (p. 11).

[3]) Quae Kock de v. 13 dicit, vix probari posse mihi videntur.

fabula argumentum habet, quod accuratam expositionem non desiderat, ea, quae scire opus est, simplici unius narratione proferuntur;[1]) inde a Nubibus haec narratio artificiosius instituitur, qua accurata datur expositio. Non solum levatur orationis continuitas,[2]) sed etiam certam disponendi rationem cognovimus. In Avibus narratio iam appropinquat dialogo, quo inde a Lysistrata prologus constat. In ea re omnes narrationes inter se pares sunt, quod sermo omnino non differt a comoediae natura ac ratione.

Unde tamen poeta didicit non solum expositionem accuratam et in narratione prologi totam positam — quod imprimis in Vespis et Avibus cognovimus — instituere, sed etiam ipsam narrationem certo modo disponere? Primam quaestionem iam Leo solvit verbis, quibus aptiora proferre non possum (Plaut. Forsch. p. 174): Aristophanes hat . . . . von der jüngeren Tragoedie und auch von Euripides gelernt, die Exposition der eigentlichen Handlung gegenüber selbständiger zu gestalten", quibus, ni fallor, eadem exprimit, quae ipse supra demonstrare conatus sum. Quod tamen attinet ad narrationem instituendi rationem, quam inde a Nubibus cognovimus, ex eodem fonte fluxisse puto. Euripides[3]) ita rem instituit, ut res quaedam indicetur, quae sequentibus versibus fusius explicetur.[4]) Huius fabularum praecipue prologi nova et constanti forma inde ab initio conspicui erant; itaque dico hanc rem ex Euripidis fabulis in Aristophanis flu-

---

[1]) Babyloniorum frgm. 69 K.:

ἀνήρ τις ἡμῖν ἐστιν ἐγκινούμενος

tam simile est Equ. v. 40 sq.:

λέγοιμ' ἂν ἤδη: νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
ἄγροικος . . .

ut audacius non videatur ponere illum versum in tali narratione, qualis legitur in Equitibus ita, ut iam inde ab initio Aristophanes hanc formam usurpaverit.

[2]) Credi potest hac in re tragoediam praebuisse exemplum; cfr. Med. vv. 98 sqq., Soph. Av. vv. 333 sq. (Frantz p. 8); tamen valde dubito, an hoc magni momenti fuerit.

[3]) Henn. p. 44 sqq.

[4]) Sic mihi mutanda videtur finitio, quam profert Henn. p. 45; quae non quadrat cum ad alias narrationes, tum ad eam, quae extat in Hippolyti prologo.

xisse; quomodo res se habuerit in nova quae dicitur tragoedia, non scimus, etiamsi veri simile est eam non ab Euripide discessisse.

Pauca etiam dicenda sunt de Ecclesiazusarum et Pluti prologis.

Ecclesiazus. vv. 1—16.[1]

Praxagora domo exit et lanternam, quam secum fert, alloquitur, cuius originem et fata exponit; de ipsius fabulae argumento perpauca tantum dicit (vv. 17 sqq.), quae expectationem nostram attendant. Incipit a versibus tragicis;[2] quid velit explicat v. 3:

γονάς τε γὰρ σὰς καὶ τύχας δηλώσομεν.

Praxagora allocutione perfecta et v. 2[3] addito statim ipsa in parenthesi addit, quibus explicet, quare dixerit v. 2: Haec dixi, quia originem et fata tua exponere mihi proposui. Itaque vv. 4—5 continuantur vv. 1—2, et vv. 4—5 quae v. 1—2 dicta sunt explicantur. Deinde v. 6 illa lanternam adhortatur:

ὅρμα φλογὸς σημεῖα τὰ ξυγκείμενα.

Qua de causa lucernae liceat hoc munere fungi, vv. 7—16 exponitur. V. 17 ad ipsam rem transit Praxagora.

Vidimus in hac ‚narratione' duas partes discerni posse, quarum utraque disposi tionem praebet, quam Euripidis esse iam supra cognovimus; cuius consuetudines significantur verbis:

γ ο ν ά ς τε γὰρ σὰς καὶ τ ύ χ α ς δηλώσομεν·

nam genealogiae et fatorum descriptiones primum locum obtinent

---

[1]) De prologo Ecclasiazusarum egit Leo M. i. D. p. 37.

[2]) Ad v. 1 cfr. Eurip. Alc. v. 1; El. v. 1; Phoen. v. 1; ad ipsa verba Soph. Ai. v. 855 sq. (Blayd.), Eurip. Troad. v. 860 (Bakh.); ad v. 14. Eur. Cycl. v. 96; Phoen. 102.

[3]) R praebet: ‚*εὐστόχοισιν*', cett. ‚*εὐσκόποισιν*', libri omnes ‚*ἐξῃτῃμένον*'; si legimus — id quod haud pauci editores faciunt — ‚*ἐν εὐσκόποισιν ἐξῃρτῃμένον*' = loco bene spectabili suspensam, ‚*γὰρ*' aptum sensum praebere mihi non videtur, quod ad ‚*τροχῃλάτου*' (v. 1) vix potest referri. Sin lectionem, quae extat in R, accipimus et cum Dobreo legimus ‚*ἐζῃτῃμένον*' = inter prudentes inventum — melius etiam *ἐξῃυρῃμένον* (cum Mein., cfr. schol.), omnia bene se habent.

in narrationibus, quae extant in eius prologis.[1]) Praxagora igitur iis verbis dicere videtur: ‚O lucerna, more Euripidis te apud spectatores inducam.'

Ipsa descriptio satis accurata est, etiamsi singulae res simpliciter proferuntur; item fieri solet in Euripidis huius generis narrationibus.[2])

Apparet Aristophanem totam hanc partem non instituisse, nisi ut iam initio fabulae visum spectantium moveret (cfr. p. 49), id quod imprimis effecit facetiis, quas profert Praxagora, praeterea autem certa eo, quod parodiam Euripidis prologorum ipsi fabulae prologo inseruit; cuius ratio indicare mihi videtur hoc loco ludificationis aliquid parodiae inesse, quia tam clare quid velit aperit.[3])

Restant

Plut. v. 1—17.[4])

Incipit prologus a soliloquio *Carionis,* quod omnino non respicit ad Euripidis narrationes. Expositio posita est in diverbio, quod sequitur. E monologo v. 8—17 audimus pauca, quae ad rem spectant et — item, ut in Ecclesiazusis — expectationem attendunt. Ceterum Cario secum disserit de servorum miseria, qui domino serviunt insanienti.

Ea res, quod, quae vv. 1—2 dicta sunt, explicantur vv. 3—5;

---

[1]) Cfr. Bakh. p. 1 sqq.; exempla affero Hec. vv. 1 sqq.; Iph. Taur. vv. 1 sqq.; Bacch., Hel., Phoen. ibid. Cfr. Aristoph. Ran. v. 946; schol. ad Ach. vv. 46 sqq. Iam antiquitus haec res nota erat. De Acharn. loco cfr. infra.

[2]) Henn. p. 47.

[3]) Eodem modo ad Euripidem spectant

Acharn. vv. 46—52.

Amphitheus, ut, unde *ἀμφίϑεος* factus sit, explicet, maiores enumerat (‚*γὰρ*' v. 47). Mueller-Struebing (Aristoph. u. die hist. Kritik p. 697) demonstravit in Amphitheo latere Hermogenem Hipponici filium; tamen fieri potest, ut poeta parodiam instituerit illarum narrationum, quod hoc loco factum esse negat Weber (Philol. 63, p. 224 sqq.). Mihi quidem recte iudicare videtur scholii auctor, qui haec dicit: ‚*ταῦτα δὲ λέγει ἐν παιδιᾷ, σκώπτων τὸν Εὐριπίδην, ἀεὶ ἡδέως ἀπαγγέλλοντα τὰ γένη κτλ.*'

[4]) Leo p. 37.

item, quae his versibus proferantur, vv. 6—7 exponuntur, nos revocat ad illam disponendi rationem, de qua supra satis disserui. Tamen vix puto poetam hoc loco consulto rem sic instituisse. Ipse monologus bene probatur Carionis molestia, de qua secum deliberat. Similiter rem se habere vidimus in Acharnensibus et Nubibus; hac quoque in fabula is, qui monologum profert, spectatores alloquitur. Tamen a Dicaeopolide et Strepsiade differt eo, quod monologus pars tantum est dialogi, — qui incipit a v. 18; quod hoc modo neque in tragoediae neque in comoediae prologis nisi hoc loco invenitur. Semper aliquo modo narratio separatur a diverbio.

Caput III.

De narrationibus, quae extant in exodis.

Inter narrationes, quae restant, proprium tenent locum, quae inveniuntur in exitu fabularum; qui in Acharn., Equit., Vesp., Avibus, Lysistrata eodem modo est institutus, similiter in Ecclesiazusarum fabula. In his omnibus exodus incipit a brevi narratione.

Ach. vv. 1174—1189.

Nuntiorum narrationes actionem movent, quae extremam efficit fabulae partem. V. 1141—42 Lamachus exit ad bellum, Dicaeopolis ad cenam; quae quisque gesserit, altera parabasi confecta comperimus. Poeta rem in utroque diverso modo instituit: de Lamachi calamitate primum nos certiores facit famulus, qui prodit v. 1174; deinde ipse advenit Lamachus, qui, quae ille narravit, statu suo confirmat. Quae fecerit Dicaeopolis, cognoscimus e verbis et factis eius, qui simul cum Lamacho apparet.

Itaque habemus nuntium, qui narrat partem actionis ante nostros oculos institutae, e qua sequens huius actionis pars pendet — nam sic exitum fabulae appellare possumus; in quo Lamachus vulneratus opponitur Dicaepolidi laeto. Scaenam persimilem invenis in Euripidis *Hippolyto,* quae fabula tribus ante annis acta est (a. 428). Hippolytus exit v. 1101; deinde chori cantico perfecto nuntius adit v. 1153, qui, quomodo filius interierit, patri narrat. Paulo post (v. 1342) affertur ipse Hippolytus moriens. Quin etiam verba extant similia inter Hippolytum et Lamachum; cfr. Hippol. v. 1238 sq.:

σποδούμενος μὲν πρὸς πέτραις φίλον κάρα
θραύων τε σάρκας, δεινὰ δ' ἐξαυδῶν κλύειν.

Ach. v. 1183 sq.:

πτίλον δὲ τὸ μέγα κομπολακύθου πεσὸν
πρὸς ταῖς πέτραισι, δεινὸν ἐξηύδα μέλος·

(cfr. v. Leeuw.); Hipp. vv. 1347 sqq.: Acharn. vv. 1190 sqq.; Hipp. vv. 1358 sqq.: Ach. v. 1214 sq. (Starkie). Quibus satis demonstratur Aristophanem hoc loco Hippolyti fabulam in animo habuisse.[1])

Statim a verbis tragicis nuntius incipit; ad v. 1174 cfr. Soph. Oed. Tyr. v. 1223. Etiam, quae sequuntur, tragoediam redolent secundum factum et virum, de quo narratur.[2]) Quis sit is, qui narrat, tanti non interest scire; qua de causa, quae nuntiat, narrentur, nemo quaeret (cf. p. 4).

Haec scaena ab Hippolyti maxime differt eo, quod in hac nuntius perfectam profert narrationem, de Hippolyti interitu, quae ex omni parte consueto modo composita est; in Acharnensibus nuntius primum breviter rem indicat v. 1178:

ἀνὴρ τέτρωται χάρακι διαπηδῶν τάφρον

quam statim accuratius describet vv. 1179—1188. Itaque partes plenae narrationis comprehensae sunt in narratiunculam ab uno continua oratione prolatam.

Tamen accuratam descriptionem tota praebet narratio; ipsa Lamachi verba afferuntur vv. 1184—85; verba adduntur illustrantia vv. 1179 (*παλίνορρον*)[3]), 1183 (*δεινόν*), totus versus 1188.[4]) Certe poeta tam accurate res descripsit, ut iam hoc loco, priusquam ipse prodit Lamachus, aperte opponeret iactatorem miserrime afflictum heroi audaci et grandiloquo, quem antea in scaena versari vidimus. A domino non multum distat servus, cuius in verbis statim cognoscimus *τὸ μεγαλορρῆμον*, quo Lamachus ipse uti solet. Propria eius est multitudo verborum, quam adhibet in

---

[1]) Omnia, quae comparari possunt, contulit Starkie in edit.; etiam in Oedipode Tyr. similis invenitur compositio, quae tamen in singulis longius distat. Videlicet etiam Telephum attulerunt, quod sibi reservavit v. Leeuwen. Starkie p. XXXVII dicit extare hic parodiam ‚heroum claudicantium‘ Euripidis; quae tamen suspicio falsa est.

[2]) cfr. Bakh. p. 26, qui tamen non recte, postremam comoediae partem in tragoediae formam redactam esse‘ autumat.

[3]) Poeta spectat ad *παλίνορσος*, quae vox epici est sermonis (Elmsl.); cfr. Curtius, Griech. Etym. p. 556, L. Meyer Handb. I, p. 578. Verum restituit Elmsl.

[4]) Omnes fere versus huius narrationis male vexati sunt; non meum est de his rebus disserere. Hoc unum dicam, hic quoque non tantas latere difficultates, quantas enucleaverunt viri docti nimis sagaces.

re describenda; itaque qui minuit hanc multitudinem[1]), minuit quae ea efficitur vim totius loci. In fine narrationis inauditam Lamachi fortitudinem ostendit, qui, etiamsi vulneratus, tamen fortiter etiam pugnavit.[2])

Praeter verborum multitudinem — quae imprimis initio narrationis vim habet comicam — etiam *καὶ* tris repetitum vv. 1179—1180—1181 certo consilio a poeta usurpatum videtur; unâquaque sententiâ, quae tam celeriter sequitur antecedentem, augetur calamitas — quae gradatio ipsa vocabuli *καὶ* repetitione aperte significatur. Itaque delere non debemus v. 1181 (Bergk).[3])

Nuntius, qui res per ordinem profert — cadit canit resurgit Lamachus — non solum, quod factum est, sed etiam, quomodo factum sit, narrat. Poeta igitur veram instituit nuntii narrationem eo excepto, quod in unum comprehendit illius narrationis partes.

Equit. vv. 1316—1326.

Isiciarius choro nuntiat se Populum decoquendo renovasse; verba eius ipsius Populi aspectum, quem indicant vv. 1326 sq., praeparant. Itaque eandem cognoscimus quam in Acharnensium exitu structuram, quamquam hac in fabula exitus speciem praebet insolitam[4]). Unus v. 1321 plenam facti efficit narrationem: Agoracritus, qui antea (v. 1261) pollicitus erat se Populum curaturum esse[5]), promissa solvit: Illum decoxit et ita e turpi bonum fecit. Verbis ‚*ἐξ αἰσχροῦ*‘, quae narrantur, coniunguntur cum iis, quae antecedunt. Ut Lamachi famulus, etiam isiciarius primum ipsam rem indicat, i. e. summam eorum quae sequuntur v. 1318: *Καιναὶ* extant *εὐτυχίαι*, quas exponit vv. 1321, 1323, 1325[6]). Omnia metris gravibus, quibus verba adaptata sunt, enarrantur. Novus populi status depingitur similitudine v. 1325.

---

[1]) velut Blayd. Mein. Bergk.

[2]) Vv. 1187—88 non iam interpretari possumus. Fortasse poeta rem revera factam respicit; nam aliter vix explicari possunt verba, quae extant. Tamen minime dicam eum certo consilio illam rem hic protulisse — nisi ut Lamachi fortitudinem describeret; longe errat Mueller-Strueb. p. 514 sqq.

[3]) Quem versum recte intellegit Weber, Ar. Stud. p. 114.

[4]) Wilam. Wesp. p. 464.

[5]) *θεραπεύσω* v. 1261 isiciarius dicit quasi medicus; cfr. Plat. Leg. IV, 720d; Thuk. II, 51.

[6]) Vocula ‚*γάρ*‘ compensatur quaestione chori vv. 1319—20.

Vesp. vv. 1474—1481.

Servus exiens breviter narrat, unde saltandi initium fecerit Philocleo, qui statim ipse saltans domo prodit; verba eius iam prius, quam adit, audimus v. 1482 sq. Vv. 1474—75 generaliter res profertur; sequitur narratiuncula vv. 1476—1481, cum illis versibus voce ‚*γάρ*‘ coniuncta. Narratiuncula vividissima est: oratio obliqua invenitur vv. 1480—81; epitheton v. 1477.

Haec quoque cum antecedentibus cohaerent; verba v. 1476:

ὡς ἔπιε διὰ πολλοῦ χρόνου

spectant ad scaenam praecedentem, in qua senem appotum poeta induxit. Intus novum *πρᾶγμα* ortum est; itaque probata est narratio, qua simul augetur, quae paulo post in ipsa scaena monstratur imago.

Avium vv. 1706—1719.

Nuntius Pisetari et Reginae adventum indicat, cuius effectus hac narratione augetur; splendidissimam describit imaginem, quae ita, ut ab illo describitur, in ipsa scaena videri omnino non poterat.

Nuntius magno cum affectu avium genus alloquitur — qui affectus totius narrationis sono accommodatus est — et v. 1708 ipsam rem profert:

δέχεσθε τὸν τύραννον ὀλβίοις δόμοις.

Quibus verbis indicatio adventus continetur; nam siccis verbis dixeris: ‚Advenit rex‘. Ac statim sequitur pompae descriptio vv. 1709—1717, quae sic incipit:

Προσέρχεται γὰρ οἷος οὔτε παμφαὴς
ἀστὴρ ἰδεῖν ἔλαμψε κτλ.

Graviorem sonum habent voces ‚*οἷος οὔτε*‘ et quae sequuntur, non ‚*προσέρχεται*‘, quae excipit tantum versum praeeuntem. In fine ipse aditus indicatur vv. 1718—19.

Haec omnia plane tragoediam sapere statim cognoscimus nec mirum est exitum fabulae, qui totus altiorem praebet sonum, a tali narratione incipere. Omnia diligenter et perspicue describuntur; comparatio extat vv. 1709 sqq. magnifica, eiusdem generis epitheta vv. 1709 (*παμφαής* cfr. Aesch. Pers. v. 612, Soph. Phil. v. 728); 1710 (*χρυσαυγής* Soph. Oed. Col. v. 685); 1711 (*τηλαυγής* Hymn. Hom. 31, 13; 32, 8; Pind. Ol. VI, v. 5; Soph.

Trach. v. 524); 1713 (cfr. Blayd. v. Leeuw.); 1714 (cfr. ad *πτερο-φόρον* Aesch. Agam. v. 1147; Eur. Hel. v. 167; Or. v. 317) 1715 (*ἀνωνόμαστος* cfr. Blaydes); 1716. Cave finem huius versus: *θυμιαμάτων δ'* Sophocleum esse putes; talia a comoedia aliena non sunt (Kock, v. Leeuw.). Praesens tempus, quo utitur nuntius, non spectat ad affectus, sed ex eo explicatur, quod quae fiant ille exponit[1]).

Lysist. vv. 1216—1246 [2]).

Vv. 1187—88 Atheniensis et Lacedaemonius abierunt ad convivium in arce (v. 1183, cfr. v. 245) paratum, de quo in hoc episodio refertur. Narratur res, etiamsi aliquo modo in scaena agi poterat, quia non tantum valet in actione perficienda, ut scaenam mutare operae pretium sit.

Haud leves difficultates praebet hoc loco distributio versuum in unamquamque personam. Tamen non habeo, quod huic quaestioni solvendae operam navem; nam qui versus ad nostram attinent quaestionem, satis certi sunt. Vv. 1225—1227 ab Atheniensi probatos esse nemo negabit; v. 1225 propter vocem ,*ὄπωπα*' Lacedaemonio tribuit Wilam., quae tamen vox in tragoedia haud raro invenitur;[3]) effert verba Atheniensis. Vv. 1228 sqq. alterius esse, qui, quae prior dixit, confirmat, indicant verba ,*ὀρθῶς γε*';[4]) tamen, quis sit ille, non statim intellegimus. Ineptum mihi videtur haec coryphaeo tribuere; quin etiam fuerunt, qui hos versus darent servo appoto.[5]) Veri simillimum est haec verba esse alterius Atheniensis, qui colloquitur cum priore. Continuari possunt usque ad v. 1240. V. 1241 verba ,*νὴ τὸν Δία*' novam personae mutationem desiderant; quae confirmant v. 1240.[6]) V. 1242 prodit Lacedaemonius, quem alloquitur Atheniensis vv. 1245—46.

Veram narrationem nonnisi vv. 1225—27 et 1236—1238 continent; ne ex his quidem multa audimus de convivio. Poeta

---

[1]) Certum exemplum Aristophanem hoc loco secutum esse contendit Nauck (Fragm. trag. Gr. p. 848), quem tamen errare pro certo habeo.

[2]) Wilam. Textgesch. der Lyr. p. 88.

[3]) Aesch. Eumen. v. 57; Soph. Ai. v. 1150; Antig. v. 1127.

[4]) Ach. v. 397; Vesp. v. 46; Plut. v. 1033.

[5]) Beer p. 94; Droysen.

[6]) Cfr. Ran. v. 795.

hoc non commemorat, nisi ut occasionem sibi paret aliud instituendi. Quae prior dicit Atheniensis, optime depingunt Atheniensium superbiam, qui etiamsi pauca aliis concedunt, tamen sapientissimos et politissimos se ipsos esse pro certo habent. Cuius verba alter Atheniensis ironice confirmat, qui exponit Athenienses sane sapientissimos esse in convivio — quia nonnisi ebrii recte faciant; quae sequentibus versibus explicat. Huius igitur verba includuntur versibus, quibus narratur de convivio. Etiam in brevissima hac narratione — si licet hac voce illos versus significare — solitam invenimus institutionem. Ipsa res praeponitur v. 1225, de qua in sequentibus versibus refertur.

Oppositionem, quae extat inter priorem Atheniensem, qui verba profert affectus plena et splendida, et alterum, qui tam male admirationem eius comprimit, penitus deles, si vv. 1228 sqq. choro tribuis, ne dicam servo.

Ecclesiazus. vv. 1112—1143.

Prodit *ancilla* e convivio, quae Praxagorae maritum cenatum abire iubet; qua in re proferenda satis verbosa est et permulta praemittit (vv. 1112—1124), priusquam ad ipsam rem transgreditur. Qua de causa hoc fecerit, recte v. Leeuw. ostendit: est *δούλη μεθύουσα* (Pac. v. 537). Itaque facile explicatur et accurata descriptio, quae initio extat, in qua vix sibi satisfacere potest ancilla (cfr. v. 1117; v. Leeuw.), et verbositas, quam adhibet dominum allocuta vv. 1129—1136. Ipsum Praxagorae iussum quasi obiter profert vv. 1137—38; breviter tantum — quae iam audivimus e praecone femina vv. 834 sqq. — refert, quae parata sunt vv. 1139—40. Affectus plenam esse narrationem nemo mirabitur.

Ex his narrationibus ea, quae extat in Ecclesiazusarum exodo, nihil continet nisi Praxagorae iussum, quamquam, si externam formam spectes, haud paucis constat versibus; quam reservemus in aliam partem. Restant, quae inveniuntur in Acharnensium, Equitum, Vesparum, Avium, Lysistratae exitu. Quae narrationes ab iis, quas in altera huius opusculi parte tractavimus, maxime differunt eo, quod non dividuntur in diverbium et narrationem, sed ab uno inde ab initio usque ad finem proferuntur. Brevissima tantum narratio extat in Lysistratae fabula;

proprium tenet locum exitus Equitum, in quo Agoracritus cum choro colloquitur. Tamen in his quoque eadem cognosci potest institutio; neutra illam divisionem praebet.

In unaquaque ex his narratiunculis res profertur, quae, etiamsi ipsa nova est, tamen actionis partem antea incohatam conficit, in unaquaque alicuius aditus praeparatur, qui eodem fere modo indicatur; cfr. Ach. v. 1189; Equ. v. 1331; Vesp. v. 1483; Ar. v. 1718; Lys. v. 1241 discedit a forma consueta. Diverbium deesse iam dixi; neque proemium neque epilogum invenimus; quae in Equitibus extat narratio, suum tenet locum. Neque locus, quo res, quae narratur, facta sit, neque quis sit, qui narrat, indicari solet, etiamsi — velut in Avium fabula — haec non per se intelleguntur; item, qua de causa prodierint, qui rem nuntiant — de exitu omnino nihil audimus, plerumque aperte in scaena manent — nonnisi in Acharnensibus et Avibus comperimus; reliqui prodeunt, ut spectatoribus, quae facta sint, aperiant.

Omnes narrationes eodem modo compositas esse vidimus: Narrationi praeponitur res, quae narratur, summatim indicata[1]); narratio, quae Vesp. v. 1476, Av. v. 1709 voce ‚γάρ' cum prima parte coniungitur continet, quae, dum chorus cantat, facta sunt; statim sequitur scaena praeparata. Nemo eorum, qui narrat, incipit a fine actionis antea interruptae. Omnia, quae narrantur, breviter, sed perspicue describuntur; qua de causa poeta suo quemque locum modo instituerit, demonstravisse mihi videor. Singulae narrationes inter se differunt non nisi rebus, quae ex uniuscuiusque loci natura facile intellegi possunt.

Itaque his quoque narrationibus lacuna, quae extat in actione fabulae, expletur; quod tamen multo minus accurate fit quam in nuntiorum tragicorum narrationibus. Etiam in his, quas tractamus, res antea breviter indicata postea accuratius explicatur; tamen non solum indicatio et explicatio arte inter se cohaerent, sed etiam — id quod maxime differt inter eas et nuntiorum narrationes — non demonstratur, quomodo res ad eum finem pervenerit, qui in diverbio indicatus est, sed ipse finis, ipse status breviter describitur. Ne plura: Deest *continuus progressus.* Nuntius, qui

---

[1]) Paulo significantius in Acharnensibus quam in ceteris.

prodit in Hippolyti fabula, accuratissime describit, quomodo res progressae sint usque ad ipsum infortunium; servus Lamachi nihil nuntiat nisi Lamachum vulneratum esse, et tantum, quae in hac re facta sint, narrat.[1])

Etiamsi lacuna actionis accurate non expletur, tamen nonnullis locis haec neglegentia minuitur eo, quod in fine scaenae antecedentis significantur, quae sequentur; cfr. Equ. v. 1261, Av. v. 1693.

Iam in iis narrationibus, quarum forma quadrat ad nuntiorum, vidimus extare, quibus deest progressus; dico Lysistratae descriptionem[2]) mulierum effugientium et praeconis relationem (in Avibus) de hominum *ὀρνιθομανίᾳ*. Medium tenent locum narrationes prioris nuntii Av. et servi Vesp., illius de Nubilocuculiae exstructione, huius de convivio, quae progressum quendam exhibent.

Omnes fere narrationes, quas in hoc capite tractavimus, imaginem quandam (ut in Equitibus, Avibus) praeparant, a qua incipit *κῶμος*, et ipsae narrationes efficiunt, ut ille initium capere possit. Qua ex re licet suspicari, hic latere vetustam comoediae partem.

---

[1]) Cave dicas harum narrationum simile quid inveniri in nuntiorum narrationibus, quae — quod fieri solet apud Sophoclem (et Aeschylum) — brevi prooemio exornati sunt. In tali prooemio de ipsa re, quam iam in diverbio audivimus, nihil profertur, sed generaliter tantum nuntii loquuntur.

[2]) Ne putaveris hanc descriptionem eodem modo institutam esse quo illas narratiunculas; in Lysistrata totam scaenam solutam esse narrationem vidimus et totâ scaenâ res antea indicata explicatur. Itaque scaena nascitur e narratione ita, ut una ab altera separari non possit. In narratiunculis unoquoque loco scaena quae sequitur ab illa separatur, etiam in Equitibus.

Caput IV.

De ceteris narrationibus.

Acharnenses.

De *legatorum relationibus* (vv. 65—89; 136—150) vix quicquam dici potest; utraque scaenam, quae sequitur, exponit. Etiam in tragoedia eiusdem fere generis inveniuntur narrationes;[1]) tamen certe poeta his locis, qui plane comoediam et vitam cottidianam sapiunt, tragoediam non respexit.

De narratione, quam profert *Dicaeopolis vv. 496—546,* postea dicamus. Quae narrant *Megarensis* (vv. 751—759) et *Boeotus* (vv. 867—869), item expositionem praebent ut legatorum relationes. Quae iis mandata sunt, *Lamachi famulus* (vv. 959—62) et *paranymphus* (vv. 1048—1053) reddunt; breviter, quae passus sit, narrat agricola (vv. 1018—1027). Haec omnia in eodem loco ponenda sunt quo prologi et narratio, a qua incipit altera Ranarum pars; unaquaque narratione movetur scaena episodica, cuius expositio ea narratione continetur.

Haec primitiva exponendi ratio in ipsis scaenis episodicis orta esse mihi videtur; facillime talia quaedam αὐτοσχεδίως narrari poterant, si quis novam huius generis scaenam movere voluit.

Vv. 1069—1094.

Prior *nuntius* prodit, ut, quae duces fieri iusserunt, Lamacho nuntiet. Est praeco (v. 1083), qui tamen nuntii munere fungitur (vv. 1070, 1083). Certe hoc loco poeta respicit ad nuntios tragicos, id quod iam demonstrant verba, quibus chorus adeuntem indicat (vv. 1069—70).[2])

---

[1]) Henn. p. 3; 58.

[2]) *καὶ μὴν ὅδέ τις τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακὼς*
ὥσπερ τι δεινὸν ἀγγελῶν ἐπείγεται.

Optime conferri possunt Hecub. vv. 220—224. quibus Ulixes — qui item quasi nuntius indicatur — eodem modo Hecubae Polyxenam immolandam esse nuntiat.[1]

Tamen hoc quoque loco Aristophanes rem suo modo instituit. — Indicatur nuntius more plane Euripideo[2]; iam chori verba graviorem rem praeparant. Lamachum domo ille evocat versu tragico vv. 1071[3]; qui eodem modo respondet v. 1072 (cfr. schol.) Deinde brevissime praeco refert mandata; tamen — quod utrumque verae est comoedioe — non solum ludit in verbis *λόχος* et *λόφος*, (v. 1074; cfr. v. 575; 1071), sed etiam rem illustrat voce ‚*νειφόμενον*' v. 1075, scil. ut demonstret quam molestam rem Lamacho narret.

Iam v. 1085 alter accurrit nuntius, quem Dicaeopolis indicat v. 1084; quod non eodem modo facit quo chorus, quia indicatio adaptatur[4]) v. 1083 neque res est, quae eiusdem generis verbis apte praeparetur. Iubet enim Dicaeopolidem ire cenatum, accurate describens omnia, quae parata sint vv. 1089—1093; rem ipsam brevissime profert vv. 1085—86, cui addit explicationem v. 1087. Descriptionem cenae paratae iterum invenis Ran. vv. 503 sqq., Eccles. vv. 834 sqq. (v. Leeuw.); talia nobis revocant in animum descriptiones aureae aetatis, quibus gaudebant poetae comici (cf. Epicharmi fragmenta!) et quae certe in talibus locis resonant. Praeterea accurata enumeratione rerum quae, expectant Dicaeopolidem, Lamachi miseria demonstratur, qui his

---

ὀφρῦς ἀνεσπακώς (cfr. Equ. v. 631: Dem. p. 442, 11; v. Leeuw. ad Vesp. v. 655, Mueller ad Ach. v. 1069) idem fuisse videtur in sermone cottidiano quod *σκυθρωπός* in tragoedia (cfr. schol.); quod apud Aristophanem semel legitur Lys. v. 707 in parodia. Hoc inter signa erat nuntiorum (Fischl p. 26 sq.)

[1]) Henn. p. 48, qui tamen non satis cognovit Ulixis narrationem proprium tenere locum inter eas, quas enumerat.

[2]) Cfr. Hipp. vv. 1151—52; Hec. v. 216—17; Phoen. vv. 1332—34.

[3]) Cfr. [Aesch.] Sept. v. 994; Soph. Ai. v. 1197; v. 1072 e certa tragoedia sumptum esse non puto (Bakh. p. 25).

[4]) Tamen non opus est v. 1081 plane parem facere Lamachi versui (Bachmann, Phil. Suppl. 5, p. 260). Sane verba Dicaopolidis et Lamachi inter se respondent in his scaenis; tamen etiam v. 1078—1080 turbata est haec responsio (vv. 1078 et 79 recte distribuit Elmsl.)

omnibus carebit; quod cum ipsum bene sentire testantur verba sua ‚κακοδαίμων ἐγώ', narratione alterius nuntii finita. Optime differentia, quae extat inter militem et simplicem agricolam, ostenditur verbis, quibus uterque nuntius eum, cui aliquid nuntiare vult, alloquitur (cfr. v. 1071 et 1085). Optime poeta nuntios secundum res, quas narrant, inducit; prior ‚τραγικώτερον λέγει', quia res profertur gravissima, alter in vitam nos reducit cottidianam.

Uterque nuntius rem, quam nuntiare iussus est, breviter profert, quod talibus locis etiam in tragoedia fit; cfr. quod supra attuli exemplum; Soph. Ai. v. 741/42, Eur. Suppl. vv. 467—75. Consentaneum est hoc natura rei effici. Certe poeta ex suo ingenio diverso modo ita exornavit utramque narrationem, ut nemo in eiusdem rei repetitione offenderet; primum ea ipsa, quae refert nuntius, lepide paucis verbis consiliis suis aptavit, altero loco mandatum integrum reliquit, sed pauca addidit, quae idem efficiunt.

Notandum est Aristophanem in priore nuntio instituendo Euripidem secutum esse, quamquam vidimus eum anno insequente Sophoclis vestigiis ingredi. Poeta parodiam fingit certae Euripidis consuetudinis, non tragoediae, quod fecit in Equitibus.

Aves.

Vv. 1170—1187.

Accurrit *custos* nuntians unum e dis in urbem modo conditam involasse. De hoc custode (v. 1168), qui nuntii munere fungitur (τῶν ἐκεῖθεν ἄγγελος), pauca iam dixi in priore nuntio tractando p. 33 sqq. Nuntius nuntiavit rem antea incohatam perfectam esse; custos rem prorsus novam profert, qua scaena sequens movetur. De indicatione iam supra satis disserui. Custos valde commotus in scaenam irruit (v. 1170), item, quae profert, narrat (v. 1171); praesenti tempore (vv. 1180; 1183) utitur non, quo magno affectu moveatur, sed ut narret, quae fiunt; quae facta sunt, voce ‚ἐπέμψαμεν' indicantur. Quin etiam stilum tragicum et metra adhibet severa (vv. 1180—83); eodem modo, quo in nuntii narratione, affectum auget Pisetaerus (v. 1175)[1].

[1]) Versus plane tragicus; cfr. Med. v. 1121. Sono tragico affectum augeri nemo negabit.

Custodem prodire per se probabile est — talia statim Pisetaero nuntiari debebant; narratione finita eum in scaena mansisse veri simillimum est.

Formam consuetam narrationis poeta omnino neglexit, quod ipsa re narrata efficitur. Custos itidem, ut miles praefecto, breviter rem refert et ea, quae aves fecerunt, ut audacem coeli incolam comprehenderent. Hanc nuntiandi rationem rei et personarum naturae multo magis aptam esse quam narrationem nuntii tragici nemo non intellegit. Accedit, quod maxima opus est properantia; ad rem accurate describendam more nuntiorum custos tempus sumere non potest. Tamen *σχῆμα* quoddam, quod iam in aliis invenimus fabulis, hic quoque cognoscimus: V. 1171 verbis ‚*δεινότατα πεπόνθαμεν*‘ custos brevissime rem indicat, quam vv. 1172—74 accuratius explicat; quod schema aptissimum est rebus, quas modo exposui.

Hoc loco non habemus narrationem ab interlocutore interruptam, sed vividum dialogum; quam ad rem intellegendam externam actionem sibi fingere opus est. In hoc dialogo Pisetaerus non minores partes tenet, quam custos; prooemium et epilogum deesse per se explicatur.

De *ἐναργείᾳ* quae vocatur idem dicendum est atque in nuntii narratione. Habemus epitheta vv. 1179, 1180; accuratam descriptionem v. 1180 sqq.;[1]) trimembre — in versu parodico? — v. 1182.[2]) Gradatio huic quoque inest narrationi, cuius culmen positum est in vv. 1182—83.

Custos, utrum deum vel potius deam involantem ipse viderit necne, non dicit; sed omnibus, quae postea facta sunt, adfuit (*ἐπέμψαμεν*). Deum, quem modo hanc regionem intrasse nuntiavit (*ἄρτι* v. 1172), iam in propinquo adesse suspicatur; per iocum poeta aerem sicut terram rectis viis exornavit; tali in via illum progredi custos sibi fingit.[3])

---

[1]) Bakh. p. 85, qui suo iure verba, *αἰθὴρ δονεῖται* e tragoedia sumpta esse putat; cfr, v. Leeuw.

[2]) de quo frustra dubitat Blaydes.

[3]) Similiter res se habet in verbis v. 1173: ‚*εἰςέπτετ᾽ εἰς τὸν ἀέρα*‘, iam scholiasta dicit: *δέον εἰπεῖν εἰς τὴν πόλιν*, qui idem sensit.

Quae custos suspicatur v. 1184—85, statim confirmantur v. 1199; iam advolat Iris. Itaque etiam hac narratione aditus alicuius praeparatur. Quod ethopoeia neglecta est, quadrat ad ea, quae iam de his rebus exposui.

Certe hic quoque ‚nuntius' habitu et ornatu suo risum spectantium movit, etiamsi non opus est putare eos hoc quoque loco tragoediae nuntium recognovisse.

Vv. 1494—1552.

Prometheus caute et cunctanter prodit, ut nuntiet Pisetaero, qualis sit status deorum — quem in ipsam scaenam produci nemo desiderabit. Primo obtutu veram habemus scaenam episodicam; tamen, si accuratius hanc scaenam perquisiverimus, intellegemus institutionem eius ex parte nobis iam notam esse.

Prometheus, postquam se revelavit vv. 1514 - 24, refert de statu coeli; deinde Pisetaro indicat legatos a dis venturos esse ad foedus conficiendum et recta ei dat consilia v. 1525—43; denique eodem modo, quo venit, exit. Priusquam abit, v. 1544 sqq., qua de causa venerit, aperit. Iocandi causa scaenae insertae sunt vv. 1525—30, quibus Prometheus Pisetaerum de dis barbaricis certiorem facit.

Vv. 1514—24 continetur narratiuncula, cuius iam novimus institutionem. Iam v. 1507 rei summa profertur:

ἵνα φράσω σοι πάντα τἄνω πράγματα.

Tum vv. 1514—15 Prometheus Iovem interisse nuntiat, quod vv. 1516 - 24 explicat; explicatio cum v. 1515 coniungitur voce ‚γὰρ'. Summae indicatio dirumpitur quaestione Pisetaeri v. 1514.

Suppressa voce omnia, quae narrat, Prometheus profert (cfr. vv. 1504, 1505); itaque affectus signa cur non inveniantur facile intellegimus; quamquam quo graviora, quae nuntiat, videantur adhibet verba tragica vv. 1517 sq., 1520; simul poeta lepide opposuit gravem versuum sonum iis, quae statim narrantur de Triballis. Narratio incipit a fine actionis antecedentis (v. 1515); vv. 1531 sqq., quae futura sint, Prometheus indicat (cfr. p. 36). Ipsa descriptio satis illustris est: comparationes extant vv. 1519 et 1521, quarum utraque ioci causa profertur.[1]) Orationem obliquam invenis v. 1521 sqq. — barbarice loqui nescit Prometheus.

---

[1]) Eadem de causa vv. 1358 sqq. ἡ *Βασίλεια* tam accurate describitur.

Quam ob rem adierit, ipse expressis verbis explicat vv. 1544 sqq., quod expectamus explicationem facti audacis. Re confecta eum quam celerrime abire nemo est, quin intellegat.

Itaque Aristophanes narratiunculam amplificavit ita, ut veram efficeret scaenam. Quod factum est imprimis ipsius Promethei persona, tum aditu et exitu eius lepidissime instituto, deinde descriptionibus Triballorum et Reginae. Haec scaena continet parodiam non tragoediae,[1] sed fabulae, quae fertur de Prometheo.

Statim sequantur

Plut. vv. 1097—1116.

Initio scaenae, in qua cum Carione colloquitur, brevissime *Mercurius* narrat, qualis sit status deorum. In Mercurii persona iteratur Herculis, qui prodit in Av. vv. 1565 sqq.; narratio est frigidum apographon Promethei. Vv. 1107—09 Mercurius indicat Iovem hominibus, imprimis Chremyli familiae irasci; tum vv. 1112—13 causam huius rei profert, quam vv. 1213—16 exponit: Ingens scelus commiserunt, quia Plutum denuo fecerunt videntem; nam ex eo tempore nemo ne frit quidem dis sacrificat. Ipsa narratiuncula iterum vocula *γάρ* (v. 1113) cum versibus praecedentibus coniungitur. Ceterum haec narratio ex omni parte in dialogum soluta magni momenti non est; quod ipsius Mercurii verba indicant v. 1118 sq.:

καὶ τῶν μὲν ἄλλων μοι θεῶν ἧττον μέλει,
ἐγὼ δ' ἀπόλωλα κἀπιτέτριμμαι.

Itaque haec obiter tantum refert, ut, quae de se ipse nuntiare vult, praeparet.

Thesmophoriazusae.

Vv. 574— 591.[2])

Accurit *Clisthenes*, qui nuntiat (vv. 579; 595; 597) Euripidem affinem muliebri veste et (quantum fieri posset) specie exornatum misisse in coetum mulierum, ut, quae de Euripide constituerent, exquireret.

In hac narratione nova res profertur, quae tamen nobis ex

---

[1]) Quin etiam *certam* tragoediam hic latere demonstrare studet Bakh. pp. 89 sqq.: quantum mihi persuaserit, apparet e verbis meis.

[2]) Haec in scaena *περιπέτεια* posita est, non in sequente (Maz. p. 131). Fraudis detectio vere res est, qua *περιπίπτει* actio fabulae.

omni parte iam nota est. Rem neque agi neque narrari dicere possumus, sed initio fabulae agitur, hoc loco narratur. Clisthenes, ut quaerentibus satisfaciat mulieribus, accuratam dat descriptionem vv. 584—85; 587—88; 590—91, quae ne epitheto quidem caret (v. 585 *γέροντα*), quamquam haec omnia iam ipsi fieri vidimus. A prooemio ille incipit, ut explicet, qua de causa vir vel potius semivir ad mulieres venire audeat.

Vv. 574—581, qualis homo sit Clisthenes exponitur, imprimis vv. 574—76;[1] praeterea iam verba coryphaei vv. 531 sqq. et omnino ea res, quod ei licet mulieres adire[2]), mores eius indicant. Tragoediam redolent vv. 579 sqq., qui severos praebent trimetros; fortasse huc spectant verba v. 579:

φράσων τοὖτ᾽ ἀγγελῶν θ᾽ ὑμῖν.

Verba coryphaei vv. 581—83[3]), 586, 589, 599/600 e verbis et numeris tragicis compositi sunt; etiam vv. 597 (excepto ‚*τουτί*‘) et 598 (*ἐλινύειν* plane distat a comoediae stilo; praeterea semel invenitur his temporibus in Aesch. Prom. v. 53) talia exhibent.

Poeta hoc loco confecit parodiam, in qua aperte sentiremus, quantum discreparet res a verbis et numeris. Maximam vim locus habet, si nobis fingimus certi tragoediae cuiusdam loci extare parodiam[2]) Itaque recte mihi de hac re iudicare videtur v. Leeuwen (ad vv. 584 sqq.); velut v. 589 optime quadrat ad tragoediam, quae simile habet argumentum, qualem Sophocles et Euripides scripserunt in fabula, quae ‚*Σκύριοι*‘ inscribitur. Quamquam ipsum exemplum non novimus, tamen suspicari licet poetam non longe ab eo discessisse; nam plurimi versus tales, quales extant, aut leviter tantum mutati in tragoediam transferri possunt. Itaque veri simillimum est vv. 582—83, quos iam invenimus in Vespis, e scaena, quam hic poeta imitatur, sumptos esse, si ponimus in his versibus latere partem cohaerentem alicuius fabulae.

---

[1]) V. 575, quem eobet delevit, non solum speciem praebet versus byzantini, sed etiam idem dicit atque v. 576, qui bene continuatur v. 574.

[2]) Cfr. v. Leeuw. ad v. 571.

[3]) Cfr. p. 3, ann. 2.

[4]) Eandem scaenae institutionem invenis in Eur. Androm. vv. 56 sqq.; Phoen. vv. 1264 sqq.

Fortasse etiam poeta omnino tragoedias similis argumenti respexit, quae tales scaenas praebebant.

Ranae.

Vv. 503—518.

Iterum habemus descriptionem cenae paratae, quae soluta est in dialogum et in tres dividitur partes.

I: vv. 503–507;
II: vv. 509–511;
III: vv. 513—516;

quae separantur brevibus colloquiis inter Xanthiam et ancillam, quae eum invitat, habitis. Una quaeque pars augetur contra praecedentem; extremo loco quae afferuntur, maxime Xanthiam commovere indicant vv. 519 sq. *Ancilla* statim incipit per ordinem res referre neque antea aliquo modo summam totius descriptionis profert.

De huiusmodi narrationibus iam dixi in Acharnensium loco tractando p. 74. Descriptio quam maxime illustris est, ut miserrime doleret Dionysus se speciem mutavisse.[1]) Vinum laudatur *γλυκύτατον* v. 511;[2]) laudibus efferuntur saltatrices ‚*ἡβυλλιῶσαι κἄρτι παρατετιλμέναι*' nec minus tibicina *ὡραιοτάτη* (vv. 516, 514), quae laudes propositum bene assequuntur. Ipsa descriptio cum invitatione eo modo coniungitur, ut ancilla primum invitet Pseudoherculem v. 503, deinde haec verba probet descriptione: *ἡ γὰρ θεὸς* . . ., quae vox talibus locis inveniri solet. Habemus igitur institutionem solitam. Vv. 507, 512, 517 repetit verba: ‚*ἀλλ' εἴσιθι*', vv. 519 sq. a Xanthia remittitur, ut adventum suum nuntiet.

Ecclesiazusae.

Vv. 834—852.

Praeco femina cives monet, ut ad cenam publicam veniant. Alto sono loqui incipit;[3]) ipse cenae apparatus quam accuratissime

---

[1]) Conferas, quae de Lamacho dixi in Acharnensium fabulae l. l.

[2]) Quod in extremo trimembris loco profertur.

[3]) Cum v. 834 optime confert v. Leeuw. Lys. v. 638; Soph. Ant. v. 1183 (Iph. Taur. v. 1122).

proponitur. Augetur descriptio vv. 846—850, quibus Smoeus et Geron ludificantur, qui soli epithetis et verbis illustrantibus exornati sunt (vv. 846, 848, 848, 850)[1]. Unde talia fluxerint, iam dixi p. 155. Etiamsi initio feminae verba tragoediam sapiunt, tamen non opus est dicere poetam parodiam instituisse; nam cur praeco, quae talia pronuntiat, a verbis elatis incipiat, bene intellegimus. Similiter atque in Ranis invitatio, cuius culmen positum est in voce ‚*δειπνήσετε*‘ v. 837, probatur descriptione v. 838:

ὡς αἱ τράπεζαι γ᾽ εἰσὶν ἐπινενησμέναι;

iterum in fine verba ‚*πρὸς ταῦτα χωρεῖτε*‘ (v. 851) ad initium respiciunt.

Plutus.

Vv. 253—289.

Cario chorum advocat, cui nuntiet, quae facta sint. Vv. 255—56 summam tautum rei profert:

ἴτ᾽ ἐγκονεῖτε σπεύδεθ᾽, ὡς ὁ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν,
ἀλλ᾽ ἔστ᾽ ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς ἀκμῆς, ᾗ δεῖ παρόντ᾽ ἀμύνειν,

quod queritur chorus vv. 259—60. Deinde, quae dominus dicat exponit v. 262—63: Senes vitam beatam et quietam agent. Denique, unde hoc evenerit, explicat vv. 265—285; dominus senem decrepitum, cuius statum[2] iocandi causa accurate depingit Cario vv. 266 sq., secum adduxit, quem ipsum Plutum esse tandem vv. 284 sq. indicat. Vv. 268—278 argutias praebent: vv. 279 sqq. impatienter ipsam rem senes desiderant; quam Cario versibus sequentibus aperit. Statim illi laeti duce Carione saltationem instituunt.

Aeque atque in Thesmophoriazusis narrantur, quae iam antea in ipsa scaena acta sunt; tamen hoc loco aliter res se habet. Ipsa narratio, cuius institutionem iam novimus ex Avium et Lysistratae fabulis, brevis est, sed augetur et amplificatur facetiis insertis; accurata senis descriptio comicam habet vim. Vox

---

[1]) Nescio, qua de causa v. 840 in ultimo trimembris loco mutemus *νενασμέναι*.

[2]) Cfr. schol. ad v. 267: *καλῶν δε τὸ οἶμαι, ἐπειδὴ τὰ μὲν ἄλλα πάθη τοῦ σώματος εἰς ὄψιν ἑώρα, τοῦτο δὲ κρυφῆ ὂν καὶ μὴ ὁρῶν αὐτὸ ἀπο εἰκασμοῦ λέγει.* Itaque Cario in hac re nimis accurate describit.

‚*γάρ*', qua coniungi solet explicatio cum summa, compensatur quaestione chori, quae extat v. 264, quae eodem modo unam partem alteri adnectit. Similiter institutus est exitus Equitum; tamen hic habemus parodum, quae ex omni parte humilem exhibet sonum, cum illic sublime cognoverimus genus dicendi.

Vv. 802—822.

Cario, quomodo intus omnia conversa sint, narrat; quae narratio optimum praebet exemplum aureae aetatis descriptionum, quas iam supra commemoravi.[1]) Vv. 802—03 summatim rem indicant; vv. 804—05[2]) sequitur explicatio (*γάρ* v. 804), quam excipit descriptio divitiarum v. 806—818. In fine, quae faciat dominus et quam ob rem ipse exierit, Cario nuntiat.

Ad vv. 804—05 cfr. Vesp. vv. 1474—75; ad v. 806 scholion adnotat: *ταῦτα δὲ παρὰ τὰ ἐν Ἰνάχῳ Σοφοκλέους, ὅτε τοῦ Διὸς εἰσελθόντος πάντα μεστὰ ἀγαθῶν ἐγένετο.* Tamen haec in illa fabula eodem modo ab aliquo nuntiata esse veri simile non est (quod suspicatur v. Leeuw.); nam plura extant fragmenta Inachi, quae ad hanc rem spectant et demonstrant chorum haec pronuntiavisse.[3])

Quamquam descriptio per se maxime est illustris, tamen inveniuntur epitheta vv. 807 et 813.[4]) Gradationem quandam inesse narrationi negari non potest:

I. vv. 806-811: Omnia plena sunt bonorum; panarium, hordei farinae, amphorae vini, vestimenta auri et argenti. Cisterna abundat olei, ampullae unguentis, domus superior ficis.[5])

II. vv. 812—815. Ipsa vasa et furnus maximi sunt pretii.

III. vv. 816—818: Quin etiam res, quae alias tam pretiosae esse omnino non solent, conversae sunt.

---

[1]) Exempla affert Athenaeus p. 267 E sqq. (VI, 94 sqq.).

[2]) V. 805 a certe removendus est e loco, quo nunc est; tamen, quod eum deleamus, non habemus. Apte v. Leeuw. post v. 818 eum transposuit; ita summam vim habet, cum Cario talibus, qualia profert vv. 817—18, commemoratis dicat: Tam dulce est divitem esse!

[3]) Nauck fr. 264; 255, 254? cfr. Mein. Phil. 19, p. 145.

[4]) Trimembre invenitur v. 812 plane, ut ita dicam, cottidianum; (enumerantur supellectiles); 820 (ex ipsa re intellegendum, cfr. v. Leeuw.)

[5]) Cfr. schol. ad v. 806: *προύχει δὲ τὰ λευκὰ τῶν ἀλφίτων, ἤρξατο δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀναγκαίων εὐπορίας.*

Ut nuntii, Cario non solum locum, quo, quae narrat, facta sint, indicat v. 804 — certe non consilio poetae — sed etiam, qua de causa prodierit, explicat vv. 821—22. Hoc quoque non, ut nuntium imitetur, sed per iocum facit; rebus divinis, quae intus conficiuntur, sensum opponit profanum: funus, qui oritur e sacrificio, eum expellit.[1]) Affectum exprimit v. 809.

Iam subsistamus. Omnes, quas modo perlustravimus narrationes, in ea re consentiunt, quod *res plane nova* — scil. personis fabulae — profertur; quo maxime differunt ab iis, quas in tertio capite tractavimus. Hac re aut ipsa actio promovetur — quod fit in Avibus:[2]) Prometheus narrat de statu deorum, qui eos cogit legatos ad Pisetaerum mittere; qui postea, ut *Βασιλεία* ei tradatur, efficiunt et eo modo actionem fabulae i. e. novi imperii institutionem conficiunt. Etiam Clisthenis narratione actio producitur; — aut novae moventur scaenae episodicae. Legationes, de quibus refertur in Acharnensibus, ita stomachum movent Dicaeopolidi, ut consilium capiat pacis conficiendae; itaue qhaec quoque res multum valet in actione perducenda vel potius movenda. Actio quaedam efficitur etiam nuntiorum, quae in fine eiusdem fabulae extant, narratiunculis, quibus Lamachi et Dicaeopolidis facta probantur, quae extremam fabulae partem explent. Nova scaena narratione movetur in Acharnensibus (prioris servi Lamachi, agricolae, paranymphi), Avibus (custodis), Ranis (ancillae), Ecclesiazusis (praeconis feminae), Pluto (Carionis vv. 253sqq., Mercurii). Exodus fabulae a tali narratione incipit in Ecclesiazusis; in Pluto Carionis descriptio divitiarum novarum primam efficit scaenam, quae statum rerum Pluti sanatione effectum illustrat et sequentes praeparat. Vidimus poetam has quoque narrationes ex parte in dialogum solvisse — qualem habemus in Acharnensium agricola,

---

[1]) Ad totam descriptionem cfr. fragm. *Pherecr. Metallorum* (Athen. 268 E sq.):

πλούτῳ δ' ἐκεῖν' ἦν πάντα συμπεφυρμένα,
ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς πάντα τρόπον εἰργασμένα.
ποταμοὶ μὲν . . . . . (cfr. *ἡ μὲν σιπύη* . .)

[2]) Eo, quod Iris in avium urbem involat, ipsa non promovetur actio; nam vidimus poetam hanc rem postea omnino neglexisse.

Avium custode et Prometheo, Ranarum ancilla; parodum narratio efficit in Pluto.

Quod attinet ad formam, ipsae se coniungunt narratiunculae, quibus mandata et iussa afferuntur. Videmus in his omnibus (Acharn.: serv. Lam. I,[1]) paran., nuntii; Eccles. ancill.) — quibus addamus Lysistr. praeconem, in quantum talia profert, et Ecclesiaz. praeconem feminam — ipsam rem breviter referri, id quod natura rei postulat; nec aliter fieri solet in tragoedia. Sane plurimis locis auctae sunt hae narrationes; sed omnia, quae ad hanc rem perficiendam poeta adhibuit, plane comoediae esse demonstravimus. Etiam ea res, quod, quantum omnino hoc facere opus est, mandata explicantur, per se intellegitur.

Itaque hae narrationes ipsius sunt comoediae. Item legatorum relationes e comoediae natura nascuntur; narratio Clisthenis non *pendet* a tragoedia, ut ita dicam, sed ex ea sumpta est. Narratio custodis, quae extat in Avibus, prioris nuntii narrationi adaptata est[2]), quam tragicam institutionem praebere cognovimus. Cenae paratae descriptionem, quam profert ancilla in Ranis, artificiose et certo consilio institutam esse iam dixi.

Narrationes nuntiorum, quae inveniuntur in Acharnensibus, in ipsius rei enarratione inter se similes esse non mirum est; item facile intellegitur, cur sacerdotis nuntius (Ach.), ancilla (Ran.), praeco femina (Eccl.)[3]) primum invitationem, deinde descriptionem cenae proferant. Ancilla, quae prodit in fine Ecclesiazusarum, habet, quod ab hac ratione discedat.

Itaque in his narrationibus, quamquam ex parte congruunt, tamen certam formam arte excultam constituere non possumus. Aliter res se habet in iis, quae restant; i. e. in narratione Promethei (Av.) de statu deorum — quae iteratur in Mercurii narratione (Plut.), — Carionis de adventu Pluti, eiusdem de divitiis

---

[1]) Eodem fere modo inducuntur servus Lamachi, paranymphus, alter nuntius, cfr. vv. 959—1048—1058; quod iam in Avium fabula fieri vidimus. In tam brevibus narratiunculis facilius poeta rem ita instituere potuit.

[2]) Similiter Euripides in Phoen. vv. 1217 sqq. alteram nuntii narrationem adaptavit priori, quamquam diversam habet naturam (Henn. p. 50).

[3]) Ancilla et praeco femina invitatione confecta statim ad descriptionem transeunt, quae voce γάρ (ὡς) cum illa coniungitur; nuntius unum interponit versum, quo Dicaeopolidem, ut properet, adhortatur.

subito ortis (Plut.) Omnes eiusdem sunt generis, quod iam novimus; primum res summatim indicatur, tum paulo diligentius, denique sequitur ipsa descriptio. In Promethei et Mercurii narratione iterum invenimus illud γάρ, quod ipsam narrationem coniungit cum versibus praecedentibus. Quam ob rem poeta hanc formam iis narrationibus imposuerit, ex eo explicatur, quod graviores tenent partes quam, quae exodum praeparant, et dignae sunt, quae artificiosius instituantur, etiamsi ipsum nuntium tragicum sequi poeta noluit. Mercurii narratio ex omni parte exemplar est ita, ut omnia, quae dicuntur de Promethei, in eam transferri possint. Carionis divitiarum descriptio eo differt a ceteris, quod omnes tres partes unam efficiunt continuam orationem. Vix cum alio atque cum choro Cario colloqui poterat; nam, qui antea aderant, rem iam sciunt, et cur novam personam ad unam hanc rem instituendam inducere poeta noluerit, facile intellegimus. Chorus autem in hac fabula graviores partes non iam agit. Itaque poeta hoc loco eum neglexit, etiamsi triplicem constructionem servavit.

In omnibus huiusmodi narrationibus, quamquam, quae proferuntur, satis clare describuntur, tamen ars narrandi non ex omni parte ut in nuntiorum exculta est. Nam non solum breviores, quam nuntiorum sunt hae narrationes; sed etiam potius ‚descriptiones' appellandae sunt. Lysistrata, praeco, Prometheus, Cario, Mercurius *statum describunt,* non *quomodo res progressae sint, narrant:* quod item fieri vidimus in narrationibus, quae initium efficiunt exodorum (p. 149 sq.)

Conclusio.

De omnium narrationum forma ac ratione.

Quattuor narrationum constituimus genera, quae perspicuitatis causa litteris significemus:

P = narrationes, quae leguntur in prologis inde ab Acharnensibus.
N = narrationes, quarum forma quadrat ad nuntiorum narrationes.
T = narrationes tripertitae.
E = narrationes, quae inveniuntur in exodis.

Inter quas proprium tenent locum narrationes generis P. Iam supra demonstravisse mihi videor formam narrandi quam invenimus inde ab Equitibus in fabulis Aristophanis, inter antiquissimas fuisse; imprimis Equitum fabula ad rude et incultum narrationum genus nos revocat, qualem in priscae comoediae prologis — quantum omnino de talibus dici potest — extitisse putemus. Certe initio fabulae potissimum fieri potuit, ut ars quaedam narrandi nasceretur; nam etiamsi in ipsa ‚fabula' nihil quod ad actionem spectabat, narrandum erat, tamen antea opus erat, etiamsi breviter, spectantibus rem exponere, ubi primum tales res agebantur. Itaque narrandi rationem in ipsa comoedia natam esse dicere possumus. Bene res illustratur scaenis episodicis Acharnensium, quae, etiamsi brevissimae sunt, tamen „prologum" quendam habent, i. e. expositionem desiderant. Similiter antiquissimis temporibus totam fabulam initium cepisse a paucis verbis, quae eodem modo, quid rei esset, explicabant, mihi persuasum est.

Inde narrandi primitiva ratio in ipsam fabulam irrepsit, cum

paulatim actio ita augeretur, ut tota non in scaena iam produci posset. Agricola, qui in Acharnensibus queritur se boves amisisse, brevissime et rem indicat (v. 1022) et explicat (v. 1023); eodem fere modo, quae in scaena agi non poterant aut non debebant, olim narrata esse mihi fingo. Servatum est hoc genus narrandi in narrationibus E, in quibus indicationem rei statim sequitur explicatio. Vidimus has narrationes et in longius dilatas et in brevius redactas esse secundum uniuscuiusque rei naturam; revera nihil aliud praebent atque quod invenimus in Acharnensium episodiis. Scilicet certa forma, quam constituimus in his narrationibus, paulatim effecta est. Postea cessit haec narrandi ratio formis magis artificiosis, cum comoedia secundum tragoediae exemplum maiorem usurpavit artem; servata est in exodorum initio, quo, quae narrantur, non tanti sunt momenti in actione perducenda, sed nonnisi, quae sequuntur, cum antecedentibus coniungunt. Itaque satis est ea, quae intersunt, breviter, sed clare proferre.

In tragoedia paucae tantum inveniuntur huius generis narrationes, quae eundem tenent locum in structura fabulae; omnes leguntur in Euripidis fabulis.

Alcest. vv. 747 sqq.

Famulus, quae facta sint in cena, ad quam Admetus Herculem invitavit vv. 546 sqq., narrat; narratione perfecta statim prodit Hercules.

Androm. vv. 802 sqq.

Nutrix, quae Hermione fecerit, narrat; v. 825 ipsa domo proruit.

Helen. vv. 528 sqq.

(antecedit chori canticum eadem continens). Helena redit a Theonoa, ad quam profecta est v. 385 (cfr. v. 324—29) et, quae ex hac audiverit, nuntiat; quo facto Menelaus prodit.

Bacch. vv. 431 sqq.

servi Bachum adducunt et, quomodo eum comprehenderint, referunt; quod fieri iussit Pentheus vv. 352 sqq.

Bacch. 604 sqq.

Dionysus, quomodo, quae Pentheus vv. 509 sqq. servos facere iussit, evenerint, narrat; v. 642 Pentheum ipsum videmus.

His quoque narrationibus, quibus aut res plane nova profertur (Androm.) aut pars actionis antea incohata conficitur, lacuna, quae extat, satis expletur, etiamsi non tam accurate quam nuntii narratione. Optime his locis demonstratur, quomodo poeta — comicus non minus atque tragicus — talibus narrationibus ad actionem supplendam etiam alibi atque in exodo uti potuerit, ubi tam accurata explicatione, qualem dant nuntii, non opus erat. Tamen in hac re tragoedia comoediam mihi non docuisse videtur, sed haec ipsa hanc narrandi artem excoluit.

Narrationes autem, quarum forma ad nuntiorum narrationes quadrat, posterioribus demum temporibus comoediam e tragoediae arte accepisse pro certo habeo. Quod factum est, cum arti comoediae auctae non iam satisfaceret simplex illud narrationum genus. Nuntii narrationem ex omni parte perfectam Aristophanes etsi nonnisi parodiae causa duobus tantum fabulis inseruit, Equitum et Pluti, tamen compluribus locis tales narrationes comoediae moribus accommodatas in fabulae contextum recepit. Sed — si universum spectas – , quantum fieri poterat, poeta nuntiorum narrationes a comoedia removit; quod genus non quadrat ad comoediae naturam, quae plura agere quam narrare solet. Non igitur opus est ea, quae narrantur, forma tam pomposa proferre.

Iam dixi primarias esse narrationes generis E; licet suspicari etiam in tragoedia hanc priscam fuisse narrandi formam paucis rebus mutatis, quae e tragoediae origine tam diversa a comoediae explicandae sunt. Primum res, quae facta erat, breviter indicata et explicata est — aliter atque in comoedia — diverbio inter histrionem et chorum (coryphaeum) habito; recordemur tragoediam ita ortam esse, ut e choro unus se solveret histrio, comoediam autem natam esse e coniunctione chori commissantis cum iis, quae breves scaenas agebant. Deinde diverbium solum (in tragoedia) non iam satisfaciebat animo poetarum ita, ut rem accuratius explicarent narratione separata, qua addita facile fieri poterat, ut diverbium nihil nisi rei ipsius indicationem contineret, i. e. solum narraretur, quod, non quo-

modo factum esset. Uniuscuiusque generis exempla servata sunt: Habemus primum diverbia, quibus deest narratio (cfr. p. 6, ann. 5):

Aesch. Sept. vv. 791—821.

Nuntius narrat urbem servatam et fratres unum ab altero necatos esse.

Soph. Antig. vv. 1278—1316.

Alter nuntius, quomodo interierit Eurydice, nuntiat.

In his accuratam rei explicationem — quantum fieri potest — desideramus et invenimus.

Tum narrationes extant, in quibus res non solum narratione explicatur, sed etiam diverbio fusius exponitur — id quod fieri solet in tragoediis, quae servatae sunt.

Soph. Antig. vv. 1155—1256.

Nuntius v. 1175:

Αἵμων ὄλωλεν· αὐτόχειρ δ᾽ αἱμάσσεται

totam rem comprehendit, quam in narratione vv. 1113 sqq. diligenter describit. Pluribus exemplis non opus est.

Denique inveniuntur, in quibus diverbium rem solam continet, narratio explicationem:

Eur. Herc. vv. 910—1015.

nuntius narrat de Herculis insania. In diverbio nihil dicit nisi ‚τεθνᾶσι παῖδες', quam rem narratione accuratius explicat; item fit Phoen. vv. 1335 sq., Bacch. vv. 1029 sqq.

Vix casui tribuendum est, quod tales narrationes non prius quam in Euripidis fabulis inveniuntur, primi autem generis in Aeschyli tantum et Sophoclis; nonne progressum quendam hic cognoscimus? Nec aliter res se habet in eo, quod initio dialogus extabat inter chorum et eum, qui aliquid nuntiavit, postea res ab uno proferebatur; partes chori magis magisque minutae sunt ita, ut denique narratio a histrione solo audiretur. Ita orta est illa forma, quam tragoedia sibi servavit.

Restat illud, quod tripertitum invenimus genus, quod comoediae proprium est nec ullo loco in tragoedia extat. Quod eo modo ortum esse puto, ut paulatim breves narrationes (E) ita accommodarentur narrationibus nuntiorum, ut ipsi narrationi con-

tinuae praeponeretur diverbium quoddam, quo res item, ut in nuntiis, summatim indicaretur.

Vidimus narrationes generis P inde a Nubibus usque ad Aves eo modo institutas esse, ut dividantur in plures partes, quarum unaquaque rem antea indicatam sequentibus versibus explicat; explicatio cum ipsa re coniungi solet particula ‚γάρ'. Quas narrationes secundum Euripidis exemplum sic compositas esse ponimus; unde tamen ipse Euripides hanc componendi rationem didicit? Ni fallor eam e tragoedia ipsa sibi sumpsit. Vidimus extare in Euripidis fabulas narrationes, quarum forma quadrat ad earum, quas in comoedia sub E comprehendimus, quae, ut ita dicam, nuntii narrationem in brevius redactam efficiunt. Ne dicamus has narrationes Euripidis proprias esse; nam omnino nescimus, an Sophoclis vel Aeschyli fuerint fabulae, in quibus non minus invenirentur. Certe dicere possumus tales narrationes etiam in tragoedia inveniri. Equidem igitur dico Euripidem hanc formam e narrationibus illius generis in prologorum narrationes, quas ipse certo modo instituit, recepisse. Si ponimus narrationes E initia esse narrationum N, narrationes prologorum quasi in medio positae sunt inter N et E. Itaque ex parte tantum recte Henning se demonstravisse putat nihil commune esse narrationibus nuntiorum cum prologorum, etiamsi inter se satis diversae sunt.

Ex eo, quod comoedia in altera parte statum, qui actione perfecta constitutus est, illustrare solet, explicatur, quomodo factum sit, ut tot narrationes invenerimus plane descriptivas. Poeta non semper statum illum rebus, quae in scaena agi poterant, describere poterat — aut certe non satis illustrare ita, ut ad narrationem confugeret. Referunt de statu hominum vel deorum Lysistrata (de mulierum), Prometheus (de deorum), praeco Avium (de hominum) etc. Cur tam multas inveniamus narratiunculas, quae certa forma carent et praeparent tantum vel potius movent scaenam episodicam haud raro brevissimam, facile intellegitur ex eo, quod tales scaenae propriae sunt comoediae et inter partes eius non levissimae — id quod optime videre potes in Acharnensium fabula, in qua multas illius generis extare narrationes non mirum est, si totius fabulae structuram respicis.

Additamentum.

De sententiis et verbis rhetoricis, quae inveniuntur et in tragoedia et in comoedia.

De huiusmodi sententiis et verbis, quae extant in narrationibus *nuntiorum tragicorum,* egit Fischl p. 46 sqq.; tamen huc quoque spectant, quae profert. Suo iure demonstrare studet neque figuras neque alia ornamenta ‚ad praecepta quaedam rhetorica revocanda‘ esse, sed ex ipsa re et ex ingenio poetae nata esse. Certe etiam vera comoedia — ut ipse sermo cottidianus — talia usurpavit[1]). Qua de causa hoc factum sit, in unoquoque loco erit demonstrandum. Itaque haec — nisi iam extrinsecus redolent tragoediam — certa signa non sunt, quibus concludamus talibus locis poetam illam secutum esse[2]). Haec tamen quaestio non prius solvi posse mihi videtur, quam et totam tragoediam et comoediam perquisiverimus. Hoc unum dici potest: Scilicet tragoediae omnia, quae ad artem narrandi excolendam pertinent, potius tribuenda putabimus quam comoediae; in sermone vulgari ‚species et pompa rhetorica‘ multo minus locum habent quam in ornato et iam inde ab initio exculto stilo, quo utebatur tragoedia. Tamen sunt quae e comoediae natura orta sint ita, ut e tragoediae arte ea fluxisse suspicari non opus sit.

Notum est trimembre illud ‚Euripideum‘, de quo nuper egit

---

[1]) Cfr. Blass, Die attische Beredsamkeit. 2. Aufl. Leipz. 1887/98. I, p. 66: talia antiquiora sunt quam ipse artis rhetoricae cultus. Norden, A. K. I, c. 1.

[2]) Ach. vv. 1070—1142 et 1190—1225 talibus abundant; quae tamen nonnisi, ut vim comicam efficerent, a poeta composita sunt.

v. d. Brelie[1]); quantum attinet ad nuntios Euripideos, rem tetigit Fischl p. 47 sq. v. d. Brelie poetas comicos omnino non respicit. Tamen non inutile erit etiam in comoedia accuratius rem investigare; nam hoc quoque fabularum genus ea abundat constructione. Multi inveniuntur loci, quibus tria, quattuor, plura verba comprehenduntur — aut inter se coniuncta aut asyndeta[2]) — qui certe ex ipso comoediae ingenio orti sunt. Quantum attinet ad trimembre, optime rem illustrat

Equ. v. 100:

βουλευματίων	*καὶ γνωμιδίων*	*καὶ νοϊδίων*
– ⏑́ ⏑ ⏑ –	– ⏑́ ⏑ ⏑ –	– ⏑́ ⏑ ⏑ –

quorum conferas Equ. v. 165; Nub. v. 1322; Ran. v. 1203.[3])

Tales versus, qui non solum carent caesura, sed etiam bis dihaeresi disciduntur, in tragoedia ferri non possunt; in Equit. et Ran.:

καὶ κῳδάριον καὶ ληκύθιον καὶ θυλάκιον

ne verba quidem ad tragoediae sonum quadrant. Certe etiam in loquendo histriones versus institutionem praedicaverunt. Num poeta ipsam construendi rationem e tragoedia accepit? Mihi quidem natura versus comici hanc rem poetam docuisse videtur; qui versus dividi poterat in tres partes inter se pares et ita optimam praebebat occasionem verba tali modo componendi. Ita ratio quoque componendi ex ipsa comoediae natura nata est neque e tragoedia neque ex arte rhetorica.[4])

Magni etiam interest cognoscere, utrum arte an casu uno-

---

[1]) Dictione trimembri quomodo poetae Graeci, imprimis tragici, usi sint. Diss. Gott. 1911. ‚Euripideum' trimembre nominari non iam potest.

[2]) Cfr. Arist. Av. 302—304; Ach. vv. 545 sqq., Thesm. alter. frgm. 320 K. Haec omnia sunt asyndeta, et certe talis enumeratio vim comicam habet. Item fit in Ach. vv. 30 sq., quo loco unumquodque verbum aliquo gestu significatum esse nobis fingere debemus.

[3]) Legendum est ‚*θυλάκιον*'; ipsius verbi causa poeta rumpit vincula regulae. Cf. Dind. ad schol.; v. Leeuw.; Wilam. Wesp. p. 523.

[4]) Etiam comoedia Latina talibus gaudet; cfr. Leo, Anal. Plaut. III, impr. p. 22. Qui talia ‚inter elementa vivae et cottidianae dictionis' fuisse coniecit ex usu frequenti. Non inutile erit in comoedia Graeca eandem instituere quaestionem.

quoque loco nata sit dictio trimembris. Recte v. d. Brelie ipse dicit (prooem. p. 7): „in iis scriptoribus, qui alieni sunt ab arte rhetorica, saepius tria vocabula casu quodam coniuncta esse videri ita, ut poeta minime ad numerum spectet". Cfr. Plut. v. 710:

λίθινον θυείδιον
παρέθηκε καὶ δοίδυκα καὶ κιβώτιον·

θύεια et *δοίδυξ* separari unum ab altero vix possunt neque longe abest *κιβώτιον*. Cfr. *Aeolosic.* frgm. 7:

δοίδυξ θύεια τυροκνῆστις ἐσχάρα.

Ita res ipsae tali compositioni favent.

Quae cum ita sint, ne trimembre quidem proprium est tragoediae. v. d. Brelie in prooemio demonstrat numerum ternarium ut apud omnes omnium temporum homines, ita apud Graecos quoque sollemnem fuisse; deinde ex hoc numero natam esse dictionem trimembrem. Hanc construendi rationem non a rhetoribus inventam esse, sed fuisse sermonis cottidiani et vivi et postea demum ‚in artem redactam esse'. Itaque eodem venit quo nos. Tamen dicere possumus iis locis, quibus e verbis, quae tragicum praebent colorem, compositum est trimembre, eum colorem hac compositione augeri posse. Semper igitur ubi invenimus trimembre, antithesin etc., quaerendum nobis est, possitne e re explicari talis constructio.

Indices.

Argumentum:

Index narrationum, de quibus in hoc opusculo agitur:

Index locorum.

A. Comoediae.

a) Graecae.

b) Latinae.

*) De versibus, quos asterisco significavi, paulo fusius in unoquoque loco egi, quia πρόβλημα aliquod praebent.

Scholia.

B. Tragoediae.

Aeschyl.

Sophocl.

Euripid.

Fragm. Trag. Graec.

C. Aliorum scriptorum.

Index verborum.

Vita.

H e n r i c u s Franciscus Hermannus B e y e r natus sum a. 1888 a. d. IX. Kal. Dec. in capite Saxoniae, cui nomen est Dresden, matre Anna e gente Schiffner, patre Anselmo. Fidem profiteor evangelicam.

Litterarum elementis in ludo Dresdensi imbutus inde per tres annos discipulus fui gymnasii urbani Duesseldorfiensis, per sex gymnasii Hannoverani, quod nomen fert Guilelmi I. Vere anni 1907 maturitatis testimonio instructus civibus almae matris Georgiae Augustae ascriptus sum, quibus per totum studiorum tempus interfui praeter semestre aestivale a. 1908, quo Monachiam migravi. Hic in litteris philologicis me instruxerunt Crusius Drerup Otto Vollmer, in germanicis Borinski Paul Unger, in philosophicis Geiger Lipps. Tamen plurima debeo viris doctissimis, qui Gottingae me docuerunt, praecipue Baumann, Brecht, Busolt, Husserl, Körte, Leo, Müller, Schröder, Schwartz (nunc Friburgensis), Wackernagel, Weissenfels, Wendland, imprimis autem Maximilianus Pohlenz. Examen pro facultate docendi superavi a. d. XIX. Kal. Dec. a. 1911.

Omnes, quos enumeravi, viros doctissimos optime de me meritos esse bene scio nec umquam obliviscar; tamen quam maximas gratias ago Maximiliano Pohlenz, qui et inde ab initio studiis meis favit et in hoc opusculo conficiendo benignissime me adiuvit. Qui non solum in studiis perducendis, sed etiam in omnibus aliis rebus omni tempore, quantum potuit, tantis me affecit beneficiis, ut verbis gratiam meam referre, quantum vellem, non possem.

Editiones in versibus dinumerandis usitatae:

Aristophanis comoediae edd. Hall-Geldart
Aeschyli tragoediae ed. H. Weil
Sophoclis tragoediae edd. G. Dindorf — S. Mekler
Euripidis tragoediae ed. G. Murray.

Druck von Reinhold Berger in Lucka S.-A.